DE SOLIDITATE VIRTUTIS

In Religioſo Societatis JESU requiſita

CONSIDERATIONES

R. P. GASPARIS DRUZBICKI, Societatis JESU,

Cum licentia Superiorum.

COLONIÆ,

Imprimebat Franciſcus Caſparus Aldenkirchen, in platea Saxonica. Anno 1721.

LECTOR,

Hæ Considerationes, quas hìc legis, super Regulam 16. Summarii de solida Virtute, in homine Societatis requisitâ, sunt numero 23. ita in 9. dies dispositæ, quibus mos est in Societate Collectioni Spiritûs vacare, ut ternæ singulis diebus deserviant, atque ad Meditationes horarias assumi possint.

Omnes, qui se Societati addixerunt, in Virtutum solidarum ac perfectarum & spiritualium rerum studium incumbant, ac in hujusmodi majus momentum, quàm in doctrina vel aliis donis naturalibus & humanis, constitutum esse ducant: illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propositum oportet. *Reg. summ. Const. 16. ex parte Const. 10. §. 2.*

DIES I.

Præambulatorias habet Considerationes de solidâ Virtute. 1. Rimatur sensum Reg. 16. 2. Naturam inspicit Virtutis solidæ. 3. Mentem S. P. Ignatii & Societatis aperit in exigenda à suis virtute solidâ.

CON-

CONSIDERATIO I.

Continebit hæc Conſideratio diligentem perpenſionem Regulæ ſupradictæ : perpendentur enim ſingula ejus verba; præcipuè verò hæc quinque præ oculis habebuntur.

1. QUòd hæc Regula omnibus omnino ſerviat iis, qui in Societate vivunt, incipiendo à primi anni Novitiis, uſque ad extremè veteranos : omnes ſiquidem iſti, ſe ſe Societati addixerunt, & quidem Veterani magìs quàm Novitii: proinde etiam Veteranis incumbit magìs eam Regulam vitâ ſuâ exprimere, quàm Novitiis. quod an re ipſa in nobis ſit, erit ſine palpatione acriter in conſcientia propria à quolibet diſpiciendum, dijudicandúmque.

2. Quòd hæc Regula præcipiat omnibus Societatis hominibus ſtudium, ſeu diligentem & indefeſſam curam (id enim vox ſtudii, & incumbendi

ſonat) non cujuslibet rei, ſed virtutum: nec quarumlibet, ſed ſolidarum ac perfectarum, & denique generatim omnium rerum ſpiritualium inſtituto congruentium. Quod præceptum, quàm ſit expreſſum, quàm rationabile, quàm Evangelicum, quàm Inſtituto congruum, quomodo à primis noſtris Patribus executioni mandatum: quomodo à nobis mandetur aut mandandum ſit; accuratè itidem & abſque diſſimulatione eſt introſpiciendum, firmáque propoſita & particularia, deſignatis occaſionibus & modis atque temporibus, & aliis circumſtantiis, ad ejus Regulæ obſervationem plenam concipienda.

3. Quòd Regula præcipiat, iſtiuſmodi ſtudium virtutum ſolidarum & perfectarum à Societatis hominibus præferri omnibus aliis rebus atque mediis (poſt Deum) ſive ſint hæc ſcientiæ atque doctrinæ qualeſcunque; ſive ſint dona naturalia, ùt ingenium, Judicium, talentum gubernandi, concionandi, docendi, converſandi, ſive ſint aliæ dotes humanæ, rationéſque politicæ, ùt ſunt forma, genus, officia, experientia, aptitudo, gratia & favor externorum vel domeſticorum, Superiorum, vel graviorum virorum, ſpes promotionum ad hæc illáve ſtudia, officia, gradus, loca. Quibus omnibus tunc præfertur ſtudium virtutum ſolidarum à Societatis homine, quando priùs virtutes, quàm illa, quærit; quando virtutum cultum, propter illa non negligit; quando iſtorum curam, ad virtutum culturam perfectionémque dirigit; quando ab aliis abſtinere, abſtrahíve ſine perturbatione mentis, ſine

ne querelis, sine murmuratione, sine amaritudine & melancholia, contentissimus est, quando illa in se non agnosci, sibíve ea derogari, vel illa in se negligi deprimíve, pacatè fert vel gaudet, non ignaviâ aut laboris fugâ sed humiliationis sui studio. Hos similésque mores, an in te ipso deprehendas, an verò his oppositos experiare, sine dissimulatione inspice, ac quantùm poteris, accuratè, serióque ad emendationem tuî tecum contra te conspira, invocato ad id auxilio gratiæ Divinæ.

4. Quòd Regula præcepti sui rationem det sanè firmissimam. Etsi enim Religioso satìs esse deberet ad hoc studium Virtutum solidarum persuadendum, ipsius Regulæ mens: quæ est planè ac verè mens Societatis universæ, immo mens atque voluntas Dei, cui non obsequi nefas est: tamen etiam ratione convincit evidenti intellectum, consequentérque voluntatem, ut ita omnino studia sua ordinet; primùm nempè ad solidas virtutes parandas, deinde ad alia naturalia præsidia conquirenda. Ratio autem istiusmodi est, quia nimirum Virtutes solidæ ac perfectæ, itémque res spirituales sunt interiora interioris hominis bona, magísque ad animi bonum pertinent, quàm doctrinæ vel alia naturalia bona. Dictat autem ratio, quòd sicut animus corpori, ita & bona animi præstant bonis corporis: & sicut spiritus naturæ præstat, ita etiam bona spiritualia bonis naturalibus præstant. Dictat etiam consequenter ratio, quòd priùs & magìs curanda sint bona animi quàm corporis, bonáque spiritûs quàm naturæ. Et cùm Virtutes solidæ ac

perfectæ, résque ſpirituales, ſint animi & ſpiritûs bona, magìs quàm doctrina, vel alia naturalia; relinquitur, priùs eſſe & potiùs curandas Virtutes ſolidas résque ſpirituales, quàm doctrinas, & alia quælibet. Cui accedit illa alia ratio, quòd illa ſint bona diligentiùs curanda, quæ ſunt anima aliorum bonorum, & ſine quibus alia bona non ſunt bona, ſed potiùs vel inutilia, vel etiam periculoſa, ac damnoſa. Sed virtutes ſolidæ ac perfectæ, résque ſpirituales ſunt anima, ſunt vita, ſunt vigor, ſunt pretium & valor omnium aliorum bonorum naturalium, ita ut naturalia bona ſine illis, ſint tanquam corpus ſine anima, tanquam inſtrumenta ſine artifice, tanquam mundus ſine ſole: immo, ſunt inſtrumenta ſuperbiæ, avaritiæ, libidinis, aliorúmque ſcelerum incentiva, ùt in exemplis infinitis patuit, in omni retro ætate, ſtatúque hominum: igitur reſtat, ut juxta mentem Regulæ, priùs & magìs curentur Virtutes ſolidæ, quàm dotes naturæ. Ubi diſpicies occultè & accuratè, an in te ſit is ſenſus, ídque judicium practicum de Virtutibus ac naturæ dotibus: an verò ſpeculativè quidem id ſcias, & aſſeras, practicè verò in occaſionibus oppoſito modo te geras: ac ſi ita in te inveneris: corrige errorem tuum deinceps & occaſiones practicas ab experientia petitas deſigna &c.

5. Quòd Regula magìs curandas ſolidas Virtutes, quàm naturalia dona præcipiat, non tantùm ob dictas rationes, quæ cuilibet ſtatui hominum ſervire, ídque ipſum ſuadere poſſunt, ſed præterea ob rationem peculiarem, inſtitutóque Societati pro-

propriam, quam ex fine Societati proposito atque proprio desumit. Est enim finis Societatis (juxta Reg. 2. Summ.) non solùm saluti & perfectioni propriarum animarum cum Divinâ gratiâ vacare, sed cum eadem gratia impensè in salutem & etiam perfectionem proximorum incumbere. At incumbere in hunc finem, hoc est, in salutem & perfectionem proximorum, Societatis homo nullus potest, nisi sit in solidis & perfectis virtutibus, rebúsque spiritualibus ipsemet bene fundatus: quomodo enim perfectum imperfectus, solidum non solidus in virtute, spiritualem non spiritualis faciet? immo quomodo ipse non peribit cum pereuntibus, qui vires non habet ad opem ferendam pereuntibus? *Quomodo perficiet turrim, qui sumptum non habet, etiam ad ponendum fundamentum? quomodo occurret hosti venienti contra se cum* 20000. *qui neque* 10000. *habet*? Lucæ 14. 28. Itaque quisquis finem Societatis assequi vult, is virtutibus solidis & perfectis præditus esse ante omnia debet, & consequenter, is in virtutum solidarum & perfectarum rerúmque spiritualium studium incumbere, in iisque majus momentum quàm in doctrina, vel aliis hominis bonis constitutum esse, pro certo habere debet, & ex illis ad ista, vim efficaciámque derivare; ut ita tandem feliciter absque suo periculo & damno, finem Societati propositum consequi possit. An hæc Regulæ ratiocinatio sit efficax, vide; an & qualem in te locum habeat, expende, nec dissimula, sed fideliter practicéque tecum ipse age, propone, conclude.

H

CONSIDERATIO II.

Quid ſit virtus perfecta & ſolida?

VIrtus definitur à ſapientibus , quòd ſit habitus , quo quis bo-
I. nus redditur, & nemo malè utitur. Ex qua definitione diſcimus. 1. Virtutem non eſſe quamcunque animi ad bonum inclinationem, propenſionem, motionem, neque qualemcunque bonum actum ab homine exercitum aliquando ; ſed eſſe habitum, ſeu aſſuefactionem animi conſtantem ad bonum aliquid, ita ut animo facile aut etiam delectabile ſit, (ex eo. ſaltem , quia facile) bonum operari; difficile autem & moleſtum , malum vel malè facere, quæ aſſuefactio atque facilitas ad bonum, difficultas verò ad malum inducitur in actum, vel ſtrenuis atque heroicis , vel ſaltem frequentatis actibus bonis. v. g. qui ſe ſtrenuè humiliat, frequentérque, efficitur humilis,& induit habitum humilitatis ; quo facile eſt illi de ſe abjectè ſentire, & ſe in abjectis occupare ; difficile autem , ad honorifica & ſuperba aſpirare. 2. Diſcimus tum ex definitione, tum ex modò dictis, Virtutem non ſolùm eſſe bonum quid , ſed etiam per eam nos reddi bonos : ille enim bonus eſt, qui facilè & quaſi naturale habet, bene operari; hoc autem Virtus in nobis facit, ùt ſuprà expenſum eſt. Virtus igitur nos bonos facit; eſt igitur & ipſa bo-

num, & tale quidem, ut post Deum & ejus gratiam nullum aliud sit majus & verius hominis bonum: nullum enim aliud bonum, facit hominem bonum, nisi sola Virtus. Divitiæ, scientiæ, honores, talenta, amicitiæ, prophetiæ, miracula verò non faciunt hominem bonum ac proinde non sunt planè hominis bonum; at Virtus sine illis omnibus, facit hominem bonum: illa igitur sola est verum bonum. 3. Discimus, tum ex definitione, tum ex dictis, quòd Virtus tale sit bonum, ut non solùm nos faciat bonos, sed etiam nec possit nos facere malos, nec possit fieri mala, quia nemo illâ malè utitur: si enim quis malè Virtute uteretur, jam non Virtus, sed vitium esset; nec bonum, sed malum faceret. Omnia alia bona (præter Deum) talia sunt, ut homo iis malè uti possit; solo Deo & virtute non potest, alioqui hoc ipso nec ille Deus, nec illa Virtus esset. Ex omnibus prædictis, discimus. 4. Virtutem, ut verè Virtus sit, debere esse solidam & perfectam, adeò, ut si non sit solida & perfecta, vix Virtus sit. Si enim solida non est, & perfecta, non facit hominem facilem ad bonum, difficilem ad malum agendum, (si enim faceret, jam solida & perfecta esset) quod si non facit, habitus non est, quo boni reddamur: hoc autem Virtus est, ùt definitio virtutis docet. Ex quo, discimus 5. pro eodem hæc ferè esse acceptanda, Virtutem solidam, & perfectam Virtutem. Non quòd inchoata & imperfecta Virtus, non sit etiam Virtus suo modo, sed quòd non sit virtus adhuc talis, qualem natura virtutis & definitio in rigore

 exigit:

exigit: Virtus quippe perfectio est. Virtus autem imperfecta, nondum omnino perfectio est, alioqui perfectum faceret habentem, quod quomodo faciet, cùm ipsa imperfecta sit? Discimus adhuc ex dictis 6. Pro eodem hoc esse debere apud viros studium virtutis profitentes, virtutem quærere, & virtutem solidam perfectámque quærere. Nam Virtus non est omnino planéque Virtus, si non est solida & perfecta, uti non esse jam vidimus. Igitur qui non quærit solidam & perfectam virtutem, is neque etiam virtutem quærere censendus est. Virtus siquidem perfectio est; igitur virtutem quærere, perfectionem quærere est: quomodo verò aut virtus perfectio est, aut perfectio quæritur, quando virtus imperfecta quæritur, & virtute imperfectâ animus virtutem quærentis atque profitentis contentus est? Agnosce igitur ô Religiose, qui, si veræ Virtutis studium profiteris, solidæ & perfectæ virtutis studium profitearis; item, si verè virtutem quæris, solidam & perfectam quæris: nam si non solidam quæris, hoc ipso nec veram, nec verè virtutem quæris, virtutísve studium profiteris, sed aliud es, aliud profiteris, virtutis naturam & valorem non agnoscis, perfectionis & professionis tuæ indolem, ingenium non dispicis, linguam tuam & loquelam non intelligis. Agnosce, quàm periculosè in imperfectionibus tuis, & in imperfectis virtutibus hæres, quantò etiam periculosiùs virtutum assiduam exercitationem, perfectionémque negligis. Hoc quippe ipso quòd talis es, virtutem non quæris, nec virtutis studiosus es, neque perfectionis pro-

professus: sed imperfectionis & non virtutis. Unde meritò illud in te quadrat axioma Sanctorum: in via Dei non progredi, est regredi, nolle proficere, velle deficere est, nolle perfectam & solidam virtutem, nolle virtutem est. Quæ si horrescis legere vel recolere, magìs multò exhorresce exercere, atque practicè sentire, ínque anima tua tolerare. In quo ne videar tibi spinosa disputatione atque consideratione voluisse illudere: te ad te ipsum remitto; converte te ad te: Virtutes tuas imperfectas, quibus scilicet contentus esse velles, inspice, atque ad experientiam tuam adduc: cum eáque prædictam veritatem seu considerationem confer & confronta. Accipe obedientiam tuam imperfectam, facítne illa, ut nunquam, & rarò, ut difficilè in obedientiâ, in authoritate majorum tuorum: intellectu, judicio, voluntate, linguâ, exercitio pecces? facítne, ut facillimè intellectu, judicio, voluntate, opere, per omnes obedientiæ leges obedias? Accipe imperfectam tuam paupertatem, accipe patientiam, modestiam externam, humilitatem, linguæ continentiam, sobrietatem in cibo & potu, caritatem proximi, &c. faciúntne, istæ imperfectæ virtutes, ut ægrè his contraria perfecta committas, vitiísque oppositis careas? ut facilè actus virtutum exerceas? ut libenter? ut connaturaliter? si faciunt: gaude tu, & congaudebo etiam ego, sed tunc, cùm id credam: non credo autem, quia id impossibile scio. Si non faciunt, ùt facere non possunt: fateare necesse est, te, dum virtutibus imperfectis contentus es, imperfectione conten-

tum esse, periculis expositum esse, faciliùs multò malum, quàm bonum esse, faciliùs & sæpiùs peccare, quàm actus bonos facere; ac proinde vitia, non virtutes habere. Virtus enim est dispositio perfecti ad optimum; id est, habitus bene operandi, facilitas bene agendi, difficultas & desuetudo malos actus eliciendi: quâ facilitate bene agendi fit, ut bonum libenter, frequenter, assiduè, connaturaliter agamus, malum autem ægrè, difficulter, rarò, ferè nunquam committamus, sícque boni efficiamur, mali esse dediscamus & nesciamus, sícque virtute malè uti non possimus, sed eam connaturalem nobis efficiamus. Hoc an ita sit, & practicè sit, agnoscamus, quotquot studium virtutis profitemur; & ad solidam perfectámque virtutem omnino enitamur, neque contenti simus imperfecta virtute, sicut forsitan hactenus fuimus.

CONSIDERATIO III.

Cur virtutum solidarum studium S. P. Ignatius & Societas à nobis exigat.

CAusa prima est Deus, ídque variis modis. Primò. Quia Deus dixit, *Ambula coram me, & esto perfectus*, Gen. 17. 1. id est, homo servias mihi, & sis perfectus, utique in Virtutibus, quia per has Deo servimus. Huic consonat monitum illud Christi Domini. *Estote*

Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Matt. 5. 46. Constat verò, Deum esse solidam & perfectam Bonitatem; & nos igitur oportet esse solidè & perfectè bonos, bonitate verò Virtutum, quia hæ sunt, quibus boni reddimur. Secundò. Deus dignus est , ut simus perfecti & solidi in virtute. Ut ergo nulla alia subsit causa, mihi hæc, hæc sufficere deberet ingenuo animo. Tertiò. Placitum & voluntas Dei: placet namque Deo, & est gustabile gustui ejus, si simus solidè & perfectè boni: hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, ait Apostolus. Et quis, quæso est talis, qui nolit Deo ad gustum & ad placitum servire? Quartò. Honor & gloria Dei, quam habet Deus ex nostra solida & perfecta virtute, & ex effectibus ex ea in nos, & per nos in proximos promanantibus: in hunc enim finem Deus, & hominem condidit, & gratiis ornavit, & ad finem supernaturalem elevavit, & ad Religiosum statum vocavit, & ad professionem solidæ Virtutis invitavit, ut ex homine glorificetur magìs ac magìs, perfectionésque suas manifestet, & bonitates communicet, & sic iterum magìs glorificetur, & gloriosus appareat. Et quis invidebit hanc consolationem Deo? (ut sic loquar) ut nolit gaudere Deum de sua per nos, & in nobis exaltatione? ut Deus per nos magìs glorificetur & occasione nostrî. Quod fit, quando solidè proficimus; quando ditissimi in virtute, in gratiis, in donis cœlestibus evadimus; quando ad copiosissima merita ascendimus; quando quàm maximam gloriam cœlestem comparamus

mus & meremur. Sicut enim nullo in puncto plùs homo Deum exaltabit, quàm quando beatitudinem æternam possidebit; ita nullo in puncto & modo plùs eundem etiam in hac vita exaltat, quàm quando ita in virtute proficit, ut ad quàm maximam gloriam evehatur à Deo, atque ad quàm perfectissimam fruitionem pertingat Dei, non quia ad hanc pertingere sit bonum homini ipsi, sed quia gloriosum Deo, & quia Deus non potest se se amplius glorificare in homine, quàm per hanc fruitionem suî ab illo. Atque ita quantò hæc erit fruitio major, tantò Dei exaltatio in homine amplior. Qui ergo se ad hanc fruitionem quantò majorem disponit, is tantò majorem Deo gloriam conquirit; disponit verò soliditate virtutis; atque ita quantò solidiores esse in virtute curamus, tantò magìs Deum glorificamus. Et quem hæc non movent? hæc moverunt Sanctum Patriarcham nostrum, hæc movent etiam Societatem nostram, hæc & nos movere debent, saltem abhinc, si adhuc non moverunt, ut in solidarum & perfectarum virtutum studium incumbamus.

Secunda causa est Christi exemplum, doctrina, merita, dignitas, voluntas. Quæ omnia ùt in JESU Christo solidissimam fuisse virtutem docent, ita in Christanis, in Religiosis, in JESU Sociis, non nisì etiam solidissimarum virtutum studium exigunt. Expende doctrinas & exempla Christi, & merita, & dignitatem; videbis nihil in eis non summè solidum: qualis igitur tu imitator & Socius JESU eris, nisi solidus in virtutibus esse studueris? Quòd si ex-

si expendas, quàm Christus id velit, út nempe proficiamus; quàm sanguineis id Votis & quàm multis id poscat; quis tam ferreus, qui in hoc Christi gratificari nolit voluntati, sanguini, morti? Sit ferreus, quisquis esse vult, JESU Socius esse quî poterit? poteritne JESU Socius illam vocem surdus audire? *Si diligitis me, mandata mea servate.* Joan. 14. 13. Et quid commemorem hìc Christi gloriam, quam habet, dum solidè nos proficimus? *Gaudium Domini fortitudo nostra.* 2. Esdræ 5. 10. Etiámne Christus non meruit, ut hoc illi gaudium gloriámque non invideremus? Sanctus itaque Pater, & Societas, quia nos JESU Socios esse cupit, ideo nobis solidarum & perfectarum Virtutum studium præcipit.

Tertia causa, pretiosissimæ Parentis vita, mors, exempla, gloria: item Sanctorum omnium, item Sanctorum nostræ Societatis. In quorum omnibus moribus, nihil nisi virtutes solidæ apparuerunt. Quorum ergo tu Sanctorum istorum imitator, & socius, & frater, & cliens eris, si in virtute solidus non fueris? quomodo tu illos glorificabis, qui gloriam illorum tuis imperfectis virtutibus, ac moribus deteris? S. P. Ignatius, & Societas nos Sanctorum æmulos, & gloriæ illorum propagatores per morum & virtutum expressionem cupit; ideo nobis studium solidarum virtutum, quales Sanctorum fuerunt, inculcat.

Quarta causa, Ecclesiæ & Societatis JESU natura, indoles, vota, indigentia, finis atque vocatio. quæ omnia solidam & perfectam requirunt Virtu-

tem in nobis Filiis Eccleſiæ & Societatis. Eccleſia eſt fundata ſuper firmam petram Chriſtum :. Societas quoque ſuper eundem. Quidquid in Eccleſia eſt in Societate à Deo ordinatum, totum ſolidum eſt, totum perfectum : vana, arundinea, futilia, fictilia, inflata, non admittit Eccleſia & Societas : exigit vaſa auri ſolidi, exigit vaſa electionis, exigit opera plena coram Deo, exigit aurum, argentum, lapides pretioſos. Neminem vult, qui inveniatur minus habens, cujus opus ardeat, cujus domus ſuper arenam ſit, qui ſit arundo vento agitata, qui ſit palea igni inextinguibili comburenda, qui paſcat ventos, qui ſequatur aves volantes, qui ſit tanquam æs ſonans, & tympanum tinniens, 1. Cor. 13. 1. Tales non vult Eccleſia, non vult Societas, adeo nos vult in virtutum ſolidarum ſtudium incumbere. Et quis hæc Eccleſiæ, quis Societati invideat? Invidet, quiſquis, virtutum ſpecie contentus, virtutes ipſas non curat. An tu ex horum numero ſis, vide.

Quinta cauſa noſtrum nihilum, noſtra vanitas, inconſtantia, fragilitas, ad malum perpetua pronitas, quæ ſemper nos in præceps, in ſuperbiam, in ruinam, & exitium trahit, niſi ſoliditate virtutum, & perpetuo cum gratia Dei labore, jugíque cooperatione noſmetipſos ſtabiliamus, & ſolidemus, *Satagamúſque per bona opera certam facere vocationem noſtram, & in vacuum gratiam Dei non accipere.* 1. Pet. 1. & 10. 2. Cor. 6. 1. Metire, ô ſtudioſe virtutum, abyſſos nihili tui; & conjice, quantâ ſoliditate perfectionis & bonitatis, illas expleturus ſis;

sis: pondera, quanto pondere tendas ad ima, & infra ipsa inferna; & collige, quàm ponderosa solidáque opus habeas virtutum perfectione, ut illud pestilens pondus tuum ad ruinam allevies, atque sublevès, & ad superna cœlestiáque attollas. Crede mihi homo, si id bene expendis, levicula virtute non esse tibi opus, nec qualemqualem perfectionem tibi sufficere, facilè concludes. Si solidissimæ quandoque virtutes vacillant & cœlorum virtutes moventur, tuæ imperfectæ perfectiones non corruent? Hoc igitur cavens & curans Societas, solidarum virtutum studium, omnibus perpetuò, perpetuúmque commendat. Meritò id faciat? obaudire tu debeas? dispice, & tandem te seriò respice. Nulli magìs incumbit, te solidè perfectum esse, quàm tibi; quia si fueris, hoc nulli magìs proderit, quàm tibi; si non fueris, hoc nulli magìs, nullíque alteri oberit, præterquam tibi, ideo attende tibi.

DIES II.

Quæ requirantur in virtute, ut sit solida. 1. Intentio pura seu caritas. 2. Humilitas. 3. Universalitas.

CONSIDERATIO IV.

Ad solidam Virtutem requiritur Intentionis seu Caritatis in Deum puritas.

SOlidum dicitur illud, quod est spissum, & in quo nihil est vacuum, nihil permistum, nihil inflatum. Uter inflatus, arundo, & his si-

lia non ſunt ſolida, quia etſi foris molem præſe-rant, intus tamen habent inanitatem. Similiter aqua, aër, & alia fluida non ſunt ſolida: quia etſi habent ſubſtantiam, non habent tamen ſpiſſitudinem & denſitatem atque duritiem, ſoliditati requiſitam. Itaque virtus ſolida illa dicitur, quæ eſt ſpiſſa, denſa, inflexioni & evaneſcentiæ non obnoxia, tam plena intus quàm foris; dura & robuſta, ponderoſa, nihil habens admixtum peregrinum ac non ſuum, non obſtrepera, non clamoſa, ſolida enim non facilè ſonant, &c. Hæc omnia ad virtutem ſolidam requiruntur; quæ quidem ut meliùs expendantur, ad pauca capita revocanda ſunt.

Ac primò hìc expendendum eſt, ſolidam virtutem eſſe illam, quæ in caritate Dei fundatur, ex caritate Dei quæritur & paratur, caritate Dei perficitur ac fovetur, caritate Dei conſummatur, propter caritatem Dei exercetur, defenditur, docetur, quæ caritatem Dei radicem, vitam animámque habet, quæ ſolum & ſolius Dei bonum, ſcilicet gloriam, exaltationem, guſtum, beneplacitum, quærit, intendit, tuetur, ſolóque illo contenta eſt. Hæc eſt intentionis, quam vocamus, puritas, rectitudo, nuditas, quâ homo omne, quidquid cogitat, dicit, facit, omittit, omni actu corporis & animi, omni motu naturæ & gratiæ ad hoc unum dirigit, ut Deo bene ſit, hoc eſt, ut Deus laudetur, æſtimetur, ametur, glorificetur, ſuper omnia exaltetur, quia dignus eſt, quia id illi debitum, id illi placitum, id illi gratum ac volitum, quia Deus homini

homini placet, & ut homo placeat Deo ; placeat autem, non quia placuisse Deo, bonum hominis est, sed quia placuisse Deo hominem, vult Deus; & quia placuisse Deo, ut sit homini bonum, itidem, & insigniter appetit Deus.

Hæc exposita sive caritatis sive intentionis puritas, est tota spiritualis vitæ sublimitas, proinde diligenter ponderanda est & cognoscenda in lumine veritatis, & conscientiæ voluntatíque committenda penitus ab omni illo, quicunque vult esse perfectus, & in virtute solidus. Quæ expositio intentionis atque exactio in ea puritatis, ne cui, ùt assolet, exotica & spinosa, & fortè non ad mentem instituti videatur, eam ipsam in Reg. 17. summ: quæ immediata est huic, quam hìc de solida virtute nunc meditamur, ostendo, Regulámque expendendam propono. Sic igitur habet : Omnes rectam intentionem habere studeant, non solùm circa vitæ suæ statum, verùm etiam circa res omnes particulares, id semper in eis sincerè spectantes, ut serviant & placeant Divinæ bonitati propter seipsam & propter caritatem & eximia beneficia, quibus prævenit nos, potiùs quàm ob timorem pœnarum vel spem præmiorum, (quamvis hinc etiam juvari debeant) & in omnibus quærant Deum, exuentes se, quantùm fieri potest, amore omnium creaturarum, ut affectum universum in ipsarum creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo, juxta sanctam & Divinam ejus voluntatem. Hactenus Regula, quæ meliori non indiget, meo judicio, interpretatione,

pretatione, quàm est in explicatione intentionis posita: sicut è converso, non desidero sensum intentionis explicatæ disertiùs exprimi, quàm est à S. Patre, in his Regulæ verbis enucleata. Neque desidero ullum gradum altiorem puritatis in intentione, quàm est iste, quem S. Pater in Regulæ verbis explicavit, dummodo verba, prout prægnantissima sunt, penitissimè etiam intelligantur.

Ex his considerans colligat Primò, solidam virtutem non esse illam, in qna, qui virtutem virtutísve actum operatur, intendit commodum suum privatum; in qua placere volumus oculis alienis, non Dei, nec propter Deum; in qua aucupamur videri, gratiámve obtinere, æstimari, laudari, reputari; in qua illud istúdve nobis aptum & commodum (nunc vel olim) venamur; in qua volumus effugere aliquid adversi; in qua satisfacere tantùm omni officio & usui volumus, & facere, quod alii faciunt, contenti sumus. Isti enim virtutum fines non tantùm non faciunt virtutem solidam, sed nè virtutem quidem esse sinunt, verùm potiùs in malitiam illam detorquent, in sensualitatem, amorem proprium, superbiam, ambitionem, negligentiam, timorem humanum, tepiditatémque pervertunt.

Colligat 2. Solidam non esse virtutem illam, in qua quærimus malum aliquod declinare, etiam animæ nostræ, etiam futuræ vitæ, pœnas v. g. inferni, purgatorii, aut etiam peccatum, in quantum nobis præcisè malum est, & timorem, pudorem, pœnam, remorsum nobis adducit; non quòd

non

non sit utcunque bonum, hæc vitare velle, sed non est solidum.

Colligat 3. Solidam virtutem non esse illam, quâ quærimus profectum in virtute, meritum, beatitudinem hujus vel alterius vitæ, gratiæ augmentum, aliquódve beneficium Dei nobis bonum; non quòd non sit bonum hæc velle & habere, sed quòd virtutes, quibus ista quæruntur, non sint solidæ, non sunt enim in caritate, sed in spe fundatæ, nec ab amore amicitiæ in Deum, sed ab amore concupiscentiæ erga ipsum hominem operantem procedunt: proinde aliquod creatum, aliquem amorem creaturæ immistum hæ virtutes habent, ideóque solidæ non sunt: non sunt enim solida, quæ sunt permista; præsertim si sint viliori permista, ùt si massâ auri immistam terram habeat, solida dici non potest.

Colligat 4. Solidam non esse virtutem, amare & quærere humilitatem, caritatem Dei atque proximi, patientiam, obedientiam, puritatem cordis, Martyrii palmam, sed neque, in his virtutibus heroicè quoad hominum oculos exerceri & proficere, si in earum virtutum studio, exercitio, profectu, id quæratur & spectetur; si inquam, ob id amentur & quærantur, & exerceantur, quia sunt insignes virtutes, grandes, magnam in cœlo gloriam repositam habentes, Deo multùm placentes, in Scriptura, in Patribus, in sermonibus nobilissimè laudatæ, ab hoc, illóve Sancto, à B. Virgine, à Christo Domino insigniter exercitæ, & proinde, si etiam à nobis amentur, æstimentur, exercitentur,

possideantur, sint nobis summo honori & lucro in Christo futuræ, hæ, inquam, virtutes, hoc fine amatæ & habitæ, non sunt adhuc solidæ: neque enim in iis quæritur Deus solus sine nobis, sed quærimur nos ipsi & bonum nostrum, quà nostrum. Appetuntur enim virtutes magnæ, quia magnæ, sed ipsa magnitudo earum ad nostrî magnificationem detorquetur; appetimus in gratia Dei crescere, quia in illa crescere nobis bonum est; appetimus excellere in amicitia Dei, quia in ea excellere bonum est magnum nostrum; appetimus puritate intentionis eminere, quia eminere in ea, est bonum nobis; appetimus penitus voluntati Divinæ conformari, & in eam transire atque transfigurari, quia hoc est sublime; quam sublimitatem apprehendimus, & consequenter appetimus nobis, quippe bonam nobis. Quod solidum non esse, palàm est. Non dico malum id esse, absit, bonum est, sed solidum non est. Quid adhuc deest? porro unum est necessarium, scilicet pura & defæcata caritatis intentio; quærere nempe Deum, etiam in quærendo Deum; ut gratìs colas Deum, ut neque bonum ullum supernaturale tuum, neque bonum Dei quæras, quia est bonum tuum, quia bonum Dei à te quæri, est bonum tuum, sed quia est placitum Deo, quia gustabile, quia honorificum Deo. Ut (juxta Reg. 17.) id unum semper sincerè in omni re, actione, motu tuo, interno, spirituali, supernaturali, particulari, spectes, ut servias & placeas Divinæ bonitati, propter seipsam, & propter caritatem; ut in omnibus quæras Deum, ut exuas

te amore omnium creaturarum, & ante omnia amore tuî ipsius, boníque tui cujuscunque, in quantum tuum bonum est; & affectum universum tuum in creatorem tuum, & creaturarum conferas juxta sanctam & divinam ejus voluntatem, hoc est, ideo, quia Deus ita vult amari, quia ita dignus est, quia ita illi placitum, gustabile, laudabile est à te amari; quia te pro eo mori & martyrio ornare, Deo debitum, placitum, honorificum est; quia te ejus in voluntatem transformari, & hac transformatione nobilitari, perfici, mereri, Dei voluntas, gustus & honor, & gloria est.

Hæc intentionis puritas, caritas est clarissima, peroptimum est, virtutis soliditas est, quæ foràs mittit timorem, foràs spem: non quòd non egeat interdum timore pœnæ, vel præmii spe juvari & erigi; sed quòd in soliditate virtutis, in perfectione caritatis, in puritate intentionis non debet includi.

Hæc qui consideras, sic considera, ut te in eis contempleris, & virtutem tuam ad illa explores; & quantùm ab his illam abesse adverteris, tantùm à soliditate abesse illam nihil dubitaveris. Consulo cuilibet, ut frequenter non in vita aut anno, sed in die inspiciat intentionem suam quoad hoc, ut sit defæcata ab omni creato bono, amore, & respectu, & præcipuè à suo proprio, esto occupetur circa bonum spirituale, ídque sublime etiam. Hìc verum est illud: *Pravum est cor hominis, &c.* Hierem. 17. 9, item illud: *Nunquid Job gratìs colit Deum?* Job. 1. 9,

CONSIDERATIO V.

Ad ſoliditatem virtutis requiritur humilitas virtutis.

Virtutes ut ſint ſolidæ, debent eſſe humiles: non humiles, id eſt, abjectæ, miſeræ, imperfectæ, ſed humiles ſpiritu, humiles ſui contemptu, deſpectu, ſepultura & oblivione. Solida enim ordinariè gravia ſunt, & deorſum tendunt: ſi enim ſupernatant, apparet, aërea, ventoſa & non ſolida eſſe. Sic virtus, quæ ſolida eſt, deorſum tendit, quæ vana eſt, ſupereminere appetit. Virtus ſolida, non videri, ſed eſſe appetit: vana, non eſſe, ſed videri, aut certè parum eſſe, multùm ſtatímque videri gaudet. Vaſa etiam aurea, ſi ſint vacua, ſupernatant. lignea ſi plena ſint, deſcendunt. Arbores fructibus carentes, ſurſum ramos erigunt; onuſtæ fructibus, ad ima eoſdem demittunt. Ita ubique ſoliditas deſcendit, inanitas ſubvolat.

Ait ſcriptura, *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Eccl. 3. 20. Quaſi dicat, ſi magnus es, deſcende, & te demitte, ut quod es, eſſe non deſinas. Magnitudinem tuam fac tibi humiliationis tuæ materiem &c.

Adhuc forte ambiguè rem propono, clarè igitur dico. Virtutes, ut ſint Virtutes, oportet ut ſint humiles, & virtuti humilitatis conjunctæ. Si enim conjunctæ humilitati non erunt, vanitates

erunt

erunt : unde rectissimè ait Gregrius Romanus : quòd *qui virtutes sine humilitate congregat, quasi pulverem in ventum portat.* quæ verba non tantùm sunt per concomitantiam intelligenda, quasi cum aliis virtutibus humilitas etiam sit curanda, sed etiam per quandam informationem (quanquam semper una Virtus est altiori connexa, & veluti ejus forma aut coadjutrix, maximè quando in gradu notabili est) ita ut omnibus aliis virtutibus Humilitas quasi fundamentum, quasi custos, munitio, quasi soliditas & condimentum, adjungenda necessariò sit. Id quod Bernardus excellenter in una quidem Virginitatis seu Castitatis virtute declaravit, sed ita, ut quod ille de una virtute asseruit, hoc de omnibus virtutibus omnino æqualiter dicendum sit.

Penetrabitur hæc res, nî fallor, ex illustratione exemplorum meliùs. Est Religiosus, cui firmum propositum, excellere & perfectum esse in obedientiæ virtute; propositum suum, etiam exequi conatur, intellectum & voluntatem suam exactè conformat judicio & voluntati Superiorum; idem tamen hoc quod cupit esse, cupit etiam videri: id est: perinde ùt cupit & gaudet excellere in obedientia, cupit etiam & gaudet opinionem haberi de sua excellenti obedientia: quòd si parum obediens putetur vel dicatur, tristatur statim & abjicit animum, quid huic deest ad solidam obedientiam? dico deesse humilitatem obedientiæ: obedientiam enim habet, sed superbam, humilem autem non habet: nam si humilem haberet, non vi-

deri obediens, sed putari inobediens vellet, atque gauderet. Est alius, qui caritate proximi & zelo animarum ardet, laboriosus, strenuus, fervens, semper excubans ad lucra animarum, die noctéque accinctus; ad pauperes, ad fimeta, ad nosocomia, ad carceres impiger; in iis semper legendis, quibus proximo prosit aliquando, occupatus, dum vacat; docere rudes, pueros ignaros amat: idem tamen hoc de se sciri, sentiri, & dici quod est, gaudet & cupit; zelo carere, piger circa animas dici odit, tristatur, animo angitur & dejicitur, conqueritur. Hujus zelus & caritas proximi in quo deficit? deficit in humili zelo & caritate. Humilis enim zelus, zelus esse vult, sed videri non vult, immo non zelus, sed pigritia videri vult.

Est alius similiter zelosus sive animarum pastor, sive Concionator, sive Confessarius, sive Magister, sive Superior, & ita est, ut omnibus numeris absolutus esse in officio suo cupiat: idem tamen simul videri talis vult, & si non videtur, tristatur: si arguitur, & traducitur tanquam piger operarius, tanquam imparatus Concionator, tanquam languidus Magister, tanquam crudus vel inefficax, vel insuavis Superior; linguis talibus censurísque plùs nimio penetratur, dolet, animum abjicit, de suo gradu & passu cedit, remittit; & cùm videatur non esse, licet sit, vult re ipsâ non esse, quoniam non esse videtur. Quid talibus deest hominibus? multum admodum, esto unum solum, nempe humilitas virtutis atque soliditas. quæ si adesset, resolutio illa turpis, & ignavorum, & impatientium, superborum, se

se

se in virtute & in actionibus quærentium propria non esset ; sed potiùs contentus quisque esset testimonio conscientiæ suæ, testimonio veritatis, testimonio Dei. satìs illi esset, esse; videri autem non cuperet, immo cuperet non videri, & doleret videri.

Est similiter alius, humilitati, patientiæ, mortificationi, sui contemptui deditus, in actibus talium virtutum assiduus, sed ita, ut simul gaudeat talibus actibus studiísque intentus videri, sciri, putari, dici: si verò non intentus his videatur, si superbus, amans sui, impatiens, immortificatus, vindicativus, passionatus, delicatus, commodis deditus &c videatur, ac judicetur, & Superioribus referatur, id ferre æquanimiter non vult, non valet, sed abjicitur, queritur, murmurat, purgat se ægriùs, quàm par est. quid hujus humilitati, patientiæ, &c deest? deest humilitas. Ipsa quippe humilitas debet esse humilis, quia verus humilis (patiens, mortificatus &c.) non vult humilis prædicari, sed vilis reputari: obediens quoque humilis, non vult obediens reputari, sed inobediens judicari; sapiens & doctus humilis, non vult sapiens & doctus dici, sed sapiens quidem & doctus vult esse, insipiens autem, imprudens, vel vult dici vel saltem æquanimiter fert reputari. Satìs exemplorum est, plura considerans excogitabit, & sibi accommodabit.

Hæc est humilitas virtutis, sine quâ nulla est in virtute, nulla in ullo nostro bono opere soliditas. hac humilitate quantùm carent nostræ perfectiones,

nes, tantùm & soliditate, hoc est, veritate carent. Vera enim virtus hoc differt à falsâ & imperfectâ, quòd vera velit esse, nolit videri, immo velit non videri; falsa autem nolit, aut non curet esse, velit autem & curet videri, doleat non videri: imperfecta autem, parum curet esse, plùs verò curet videri, doleátque non videri. Unde solidissimum signum est non solidæ adhuc virtutis, velle videri, dolere quòd non videatur, gaudere quòd videatur, exhibere se videndam. solida virtus in fundo amat esse, non vult supernatare; quadrata est, non volatica, non inanis, non inflata, solius Dei oculis agnosci contenta, suis & alienis occulta, vilis, & modica, se ipsâ contenta, seipsam materiam humilitatis & humiliationis suæ facit; & licet maxima sit, maximam se non novit, non prodit; & licet honoretur, honorari se immeritò putat, supra meritum dicit, & ex animo dicit; honorari se dolet, ac tristatur, & erubescit, honorem hunc Deo tribuit, benevolentiæ ignorantium adscribit, ipsâ verò ex illo nihil sibi decerpit.

Talis fuit virtus, (ut unicum & luculentissimum exemplum dem) MARIÆ Virginis. Virgo fuit, quàm ante partum, tam in partu, & post partum, ivit tamen ad purificandum se; & tanquam non virgo immaculata, sed puerpera immunda esset, se in templo stitit, atque mundationem legalem suscepit.

Vade Religiose, ad hoc speculum exempli & considerationis istius te dispice atque compone. Quantò magnus es, humilia te in omnibus magnitudini-

tudini-

tudinibus tuis, naturalibus, supernaturalibus, corporis, animæ, fortunæ bonis. Omnia bona tua sint tibi humilitatis materia, sicut arbori sunt fructus sui. Quantumcunque te dejeceris, humilior Christo non eris; quantumcunque te dejeceris, Mariæ humilitatem non superabis. Si unde humilieris, malum nullum habes, virtutes saltem, quas humilies, habes. Ama hoc exercitium, neque dimittas, nisi in eo, usque ad nauseam tuam, temet assuefeceris.

CONSIDERATIO VI.

Ad solidam virtutem requiritur universalitas.

NOn est etiam solida virtus, qualem esse requirit Regula in homine quolibet Societatis, si non sit Universalis. universalem virtutem voco hîc, non illam, quæ scilicet omnes omninò virtutes suo ambitu complectatur, vel quâ homo nulla velit virtute carere, nam etsi & hæc quoque Universalitas virtutum in perfecto esse homine debeat, perfectum enim est, cui nihil deest, & virtus perfecta est, cui nulla pars nullúsque gradus deficit, tamen hoc loco non ad istam virtutis universalitatem curandam Considerantem excito.

Est alia virtutis universalitas, quæ non omnes in se complecti debeat. Hæc autem meliùs elucescet

ab exemplorum luce , quam à pluribus virtutibus petam. Sciendum eſt reperiri aliquos ſtudioſos virtutum tales, qui ita alicui (uni aut pluribus) virtuti ſtudent, ut eam non curent ad omnem vitam, ad omnem actionem , ad omnem circumſtantiam, olim ſibi eventuram, acquirere vel accommodare.

Modeſtiam v. g. aliquis amat: ſed amat tantùm in publico, tantùm in oculis ſuperiorum & graviorum, tantùm reſpectu periculoſiorum objectorum; at in cubiculo, & extra arbitros, inter pares, ubi nullus cenſor, & criticus metuitur, in levioribus & à gravibus culpis remotis , & geſtus fractos, oculos vagos, & aures patulas , & habitum incompoſitum, & inceſſum feſtinum aut levem, & alia incompoſiti animi corporíſque indicia prodit, facilè garrit, in riſus ora diſſolvit, levitates exercet, fabellas audit & narrat , curioſa ſciſcitatur , curiosè proſpicit. In hoc modeſtia univerſalis non eſt, quia ſi univerſalis eſſet, ubique & reſpectu omnium locorum, perſonarum , temporum, occaſionum, objectorum, membrorum, ſenſuúmque eſſet.

Mortificationem paſſionum alius amat : ſed amat & curat, tantùm earum , quæ effrenatiùs ſe vulgo produnt, & faciliùs patent ; ùt iram impatientiámque ; latentiores animi malos motus in ſeſe diſſimulat, ùt ambitum, amorem proprium, æmulationem &c. Alius amat mortificationem paſſionum, & quandoque omnium , ſed non niſi reſpectu certarum conditionum. v. g. frenat iram & timet videri impatiens à ſuperioribus, vel ab iis à

qui

quibus id cognoscere possunt Superiores; aliis qui tales non sunt, facilè & iracundè resistit, verba dura ingerit, increpationes & jurgia non fugit. Ambitiosus esse non timet, sed notari cavet, & ambitionem artificiosis palliis velat. Alius mortificationi passionum se studere ostendit, quamdiu ex minoribus, ut sic loquar, non excedit; ubi excreverit, curam illam relinquit, nulli cedit, omnibus suo judicio par, facilis censor omnium, commoditatum amator, confusionis osor &c. In talibus mortificatio est, sed universalis non est: alligata enim est certis circumstantiis, non complectitur omnes. Inde tales suo tempore videntur ex bonis mali facti, qui non facti sunt mali ex bonis (quia nunquam fuerunt boni, semper autem manserunt mali) sed desierunt apparere boni, qui videri olim curabant; & inceperunt apparere mali, quod antè videri in se cavebant: cavebant autem, ne aut opinionem amitterent, aut promotione ad studia, ad gradum, ad officia exciderent. Obedientiam alius amat: sed tantum majoribus superioribus absque excusatione obedit; minoribus, & officialibus promptè se excusat, subducit, obstrepit, resistit. Alius obedit in uno, in alio non. Alius si ei tali modo imperetnr, obedit; si aliter (puta imperiosiùs, morosiùs, crebriùs, ab ingrato sibi, vel res ingrata, vel contempta, neque apparendi occasionem habens) non obedit, aut ægrè obedit. In hisce omnibus dico, obedientiam non esse, quia universalis non est.

Indifferentiam alius amat, sed tamen moveri ab

hoc officio, loco, cubiculo, socio non vult. Illuc libenter vadit ad manendum, sed alium ad locum non item. Illi subesse gaudet, alteri se subesse posse (velle, dicere debuerat) negat. Hoc officium pro se esse, libenter se obiturum, illud non pro se esse dicit. Ad illos homines iturum, ad istos non iturum se asserit; hoc tempore, sed non alio: cum hoc socio, non cum alio, mansurum se, non iturum, iturum, non mansurum affirmat. Hæc se studia, tot annis, hoc in loco tractaturum, hoc gradu dignum, & contentum futurum, non alio dicit, re ipsâ facit. In hac indifferentia, est summa differentia ac propterea virtus nulla, quia & virtutis universalitas nulla.

Alia aliarum virtutum exempla non affero, facilè illa diligens considerator ex propria depromet vel experientia vel conscientia. Dico tantùm, quod jam dixi suprà, virtutem solidam non esse, nisi universalis sit. Quod dixit Paulus de Caritate, *quia nunquam excidit*: hoc & de aliis virtutibus in hac vita dici potest, tales nempe esse omnes in nobis debent, ut nunquam à nobis excidant, non sint alligatæ virtutes nostræ locis, personis, occasionibus, temporibus, circumstantiisque certis, ita ut ad alias nos comitari non possint aut nolint.

Sub hac eâdem universalitate inclusam cupio à studioso virtutum solidarum, Religioso, etiam universalitatem graduum, qui in virtutibus esse possunt ac debent: ut nempe non sit contentus virtute ferente, & dissimulante imperfectiones etiam minutas, etiam virtutis non directè hostes. Minimos quos-

quosque defectus, minima fugere par est eum, qui solidarum virtutum studiosus est: *Non est enim minimum, minima peccata contemnere*, S. Bonavent. in prologo speculi. Immo verò minimæ virtutis est, & modicæ caritatis, minima contemnere: minima, inquam, sive vitia, ita ut non evitentur, sive virtutum complementa, Deíve placita, ita ut curari exercerique negligantur. Qui coram Deo magni esse appetunt, nullum Dei beneplacitum, nullum Dei, Religionis præceptum, atque obedientiæ præscriptum reputare debent minimum. Si enim reputaverint, magni coram Deo non erunt, cùm scriptum sit. *Qui solverit unum de mandatis minimis, minimus vocabitur, in regno cœlorum.* Matth: 5.9. Et meritò sanè, minimus erit talis coram Deo & in regno Dei, coram quo etiam Deus & voluntas Dei, (quæ ubique est, etiam in minimis maxima) non maxima, sed minuta & contemptibilis reputatur. Quisquis ergo solidam Virtutem cupit, is simul universalem cupiat ita, ut nihil, quod Deo placitum vel placiturum putet, (esto minimum appareat) contemnendum sibi; sed potiùs omni diligentiâ & applicatione conquirendum exercendúmque putet, in minimis quippe perfectio; & perfectio, illa est, cui nihil deest: nam si aliquid deest, perfectio non est. Neque ille dici verè potest, perfectam virtutem ambire, qui convincitur, universum, quod in se virtutis esse potest, non quærere. *Vide Ludov: de Ponte l. 5. in Cant: Exhor: 38. §. 3.*

Expende hæc, quisquis es virtutis solidæ ama-

tor & sectator; & ea ad imum cor demitte, ad illa te, affectus tuos, actus tuos, officia tua, virtutes tuas examina, neque fatigeris hac reflexionis curâ, quia nunquam sine profectu te laborâsse deprehendes. Ut nihil aliud fructûs referas, illud tibi solatio sit, quod Bernard: alicubi asserit: Tunc te non frustra scrutatus es, quando iterum scrutinio opus esse deprehendes. Multùm profecit & effecit, qui hoc effecit apud se, ut intelligat se adhuc proficere debere, parùm profecisse, parùm solidæ virtutis habere.

DIES III.

Ubi virtus solida paranda seu quærenda. Ubi exercitanda & perficienda. Ubi possidenda, & tanquam robusta atque securè solida, tenenda, inque usum revocanda?

CONSIDERATIO VII.

Ubi solida virtus sit quærenda & paranda?

VIta præsens, vita est laboris, itineris, profectûs, mercatûs, negotiationis, Vigiliæ, pugnæ. Illa ergo est campus, quærendæ, parandæ, exercendæque Virtutis, ac perficiendæ, & denique tenendæ ac possidendæ. Post hanc vitam, nec ratio, nec opus, nec consilium locum habet:

habet: *Venit enim nox, in qua nemo operari possit.* Ioan: 9. 4. Qua de re nullum dubium est: tantùm id animo infigendum, quòd, quidquid virtutis, gratiæ, gloriæ in hac vita non comparaverimus, id in æternum comparaturi non sumus: ut proinde omne momentum vitæ hujus esse nobis pretiosissimum debeat, & non in nugis vanis, sed in solidis laboribus ac æternitati servituris consumendum sit: quippe momentum, *& momentaneum hoc, quod in præsenti est, immensum gloriæ pondus supra modum in sublimitate operatur in nobis.* 2. Cor: 4. 17. O avaritia humana, cur hìc non exerceris? cur his lucris, his fænoribus non inhias? Hæc Sancta & Sanctorum avaritia est; radix non iniquitatis, sed justitiæ; non idolorum, sed veri vera Dei servitus: at illam etiam Sancti sæpè non agnoscunt, sæpè non exercent, sed tepiditate, dilatione, negligentiâ, optimas horas non optimè elabi sinunt. Utinam & ego, & qui hæc legit atque expendit mecum, tales esse desinamus!

Status Religiosus est etiam locus, & tempus, & status laboris: sumus enim ad Religionem vocati, ùt operarii in vineam, ùt negotiatores ad Mensam, ùt excubitores ad vigiliam, ùt milites ad militiam, ùt athletæ ad luctam, ùt in stadio currentes ad cursum. Nobis dictum est: *Negotiamini, dum venio.* Lucæ 19. 12. nobis *Distribuit Dominus talenta & dona sua, quæ, in sudario involuta, nefas est defodere in terrâ.* Nos sumus arbores in horto Domini, in quo steriles esse nefas est, *sed fructum oportet afferre in tempore.* Ioan: 15. 16. Nos electi sumus, ut

 eamus,

eamus, *& fructum afferamus, tricesimum* viæ purgativæ, *sexagesimum* viæ illuminativæ, *centesimum* viæ unitivæ, Matth. 13. 8. & quidem in patientia; ita ut fructus noster maneat in vitam æternam. Quæ omnia sonant nihil aliud, quàm Religiosorum munus esse, virtutem quærere, acquirere, exercere, perficere, possidere. qua de re dubitare est nefas. illud tantùm apprehendendum bene, quòd Religiosum esse, nihil aliud sit, quàm Deo devotum esse: devotum autem esse nihil est aliud, quàm ad opera Dei, ad opera virtutis promptum, paratum, expeditum esse, ita ut Religiosi sit Deo perfectè servire, devoti autem, promptè perfectionem obsequii sectari. Ex quo colligat Religiosus, se, si in servitio Divino non occupatur, si non ad perfectionem conatur, si non promptè & expeditè contendit; nec Religiosum, nec devotum verè Deo esse. *Hæc qui debet capere capiat, & si quis habet aures audiendi, audiat.* Nihil enim tam formidare debet Religiosus, quàm ne non sit Religiosus; nihil æquè debet horrere Deo devotus, quàm ne non sit devotus. Non est autem Religiosus & devotus, quisquis est tepidus, quisquis est ad opera divini obsequii non promptus, quisquis in Virtutis studio non assiduus, quisquis solidæ virtutis non est exercitator indefessus.

Sunt tamen in Religionibus, præsertim in Societate tempora & spatia distincta Virtutis solidæ, acquirendæ alia, exercendæ & perficiendæ alia, utendæ denique alia, (omitto nunc reparandæ spatia, quippe hæc in mediis conjungo) acqui-

Acquirendæ virtutis, & tempus & ſpatium in Societate eſt Tyrocinium, quod ideo præ aliis Religionibus, eſt longiſſimum, & fortè etiam dicere poſſem accuratiſſimum, ut in eo Virtutis ſolidæ comparandæ, otium detur quàm commodiſſimum: non quòd aliis etiam annis virtus in Societate quæri non poſſit, & inveniri, ſed quòd aliis annis exercenda potiùs quàm quærenda, in annis Tyrocinii quærenda & acquirenda ſit. Ad Tyrocinium enim adferri virtus (ordinariè) non poteſt, nec debet, ſed in Tyrocinio diſcenda & acquirenda eſt. ex Tyrocinio verò ad alios Religionis annos exportanda, & in eis exercitanda eſt. Quare annos Tyrocinii potiſſimùm quærendæ virtuti ſolidæ aſſigno, in quibus quàm ſolidè & quàm ſolida virtus quæri debeat; ex ſequentibus, quæ conſideranda propono, capitibus eluceſcet.

1mum Sit de tribus Claſſibus Religioſorum. Una eſt Tyronum & propè Tyronum, ſcilicet juniorum Religioſorum. Altera eſt mediorum, ſeu in medio vitæ Religioſæ curſu poſitorum. Tertia adultorum & conſummatorum, atque adeò jam in ſenectutem vergentium. dicere poſſumus aliter, incipientium, proficientium, perfectorum, ſed libet priore loquendi modo uti. Hæ tres Religioſorum claſſes habent ſuas proprias virtutis perfectiones & ſoliditates: ita ut primæ Claſſis virtus, ſit gradus ac ſemen ſequentis; hujus verò in virtute ſoliditas, ſit item gradus & ſemen tertiæ; iſtius denique ſit ſemen vitæ & gloriæ æternæ. Primæ Religioſorum Claſſi incumbit, craſſioribus expugnatis vitiis,

ea, quæ ad votorum & Regularum obſervantiam pertinent, non ſolùm addiſcere, ſed in uſum quoque & conſuetudinem ſuam ſalutarem perducere: incumbit actiones & occupationes Religioſas, omnes quidem, præcipuè tamen ad ſpiritum pertinentes [ùt ſunt Orationes, Meditationes, Examina, Sacramenta, Lectio & Collocutio Spiritualis, Collatio cum Patre Spirituali, intentionis & cordis puritas &c.] cum omni diligentia & cura, cum omnium obſervationum exacta obſervatione aſſueſcere facere, ita ut hæc diligentia fiat planè Novitio naturalis &c. Secundæ Claſſi Religioſorum incumbit & competit quædam maturitas, hoc eſt, facilitas quædam, & decentia atque ornatûs adhibitio in exequendis iis, quæ ſunt vocationis, quæ Regularum, quæ ordinariarum occupationum & actionum. Non decet hos, utì bruta pecora, triſti neceſſitate, metu pœnæ aut accuſationis, monitioníſve, ad obſequia divina, Religionis obedientiæq; opera adigi: ſponte hi debent de virtute in virtutem currere: ſponte exacti eſſe in obſervatione tam temporis quàm ordinis, quàm modorum, quibus peragendæ ſunt actiones & obedientiæ imperatæ: non ad oculum, non ut non feciſſe non deprehendantur, & deprehenſi puniantur. Sponte iſti dicuntur ſe ipſis meliores de die in diem effici, & opera ſua quotidiana atque communia, exacta & virtutum ornatu cincta devotione atque fervore Deo præſentare, ùt feciſſe ſcribitur S. Ioſeph Patr: apud Hieron. in c. 3. ad Epheſ. de quo ſic ibi ſcribit. *Habebat propoſitum Deo placendi, quod nullâ tem-*

temporis varietate mutavit, neque adversis, neque prosperis sibi succedentibus; semper unus idémque fuit, ac malos dies in bonos vertit. Tertiæ Classi Religiosorum propriè dicta & primariè incumbit soliditas, qua in votis, Regulis, Virtutibus, operibus, consuetudinibus ac spiritu ordinis sui probè & constanter atque validè formati & confirmati stent, ita, ut jam iis lex non sit posita, sed sponte suâ, quæ legis & disciplinæ sunt, faciant, ut jam cæteris veluti viva Regula factísque expressa, Religionis & spiritûs disciplinâ, consilio & exemplo, reliquis præluceant, & unumquemque dictis factísque, securè utilitérque in via divini servitii juxta spiritum Religionis dirigere possint. Huic Religiosorum Classi, Regularum observantia, & Religionis disciplina levis sentitur, (sentiri certè deberet) & omnino tandem suavis fit, atque ùt loquitur Cassianus, *Superata jam vitiorum impugnatione transitur in ipsius virtutis affectum, & gravis est pœna vel virtutum pernitiosa transgressio, vel vitii virulenta contagio.* Hæc incumbit tertiæ classi soliditas virtutis, quam utinam non frequentiùs in prima inveniamus classe, quàm in hac tertia: sed hæc interim deploratio relinquenda, coram Deo autem facienda est. Hoc caput expendere proderit, non tantùm ad præsentis considerationis, sed etiam ad duarum sequentium institutum. Ad alia hujus loci propria capita, recensenda pergo.

2dum ergo Caput sit, ut Tyro atque primæ classis Religiosus hoc inviolabiliter menti &

cordi suo insculpat propositum: Volo in hac Religione Deo servire, in eóque servitio & vivere, & mori planè statuo, quidquid tandem mihi evenerit, *manum ad aratrum missam semel, nunquam avertam* Lucæ 9. 62. *Neque retro cum uxore Loth respiciam.* Gen. 19. 26. Omnis hominis Christiani, sed magìs Religiosi, ac maximè tyronis vox illa esse debet propria & medullis irradicata: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio?* *Et Certus sum, quòd neque mors.* Rom: 8. 31. Necessaria est hæc tyroni resolutio. Nam si in hoc proposito vacillat, nihil mirum, si reliqua tandem omnia non tantùm vacillabunt, sed & corruent.

3tium Caput. Idem primæ Classis Religiosus inviolabiliter hoc propositum teneat: Aliter omnino & per omnia contrariè mihi vivendum est in Religione, quàm vixi in seculo. Religio enim est inversus mundus; sapientia mundi, hìc stultitia est; mores mundi, hìc peccata sunt; gloriatio mundi hìc pudor est; etiam modus, pedes movendi, gressúsque faciendi, observatus in seculo, in Religione dediscendus est. Uno verbo, ùt massa ferrea, in incude Religionis, recudendus est, qui ex seculo venit; in aliam formam traducendus, in alium virum transformandus, veterem hominem exspoliandus; linguam, quam non noverat, docendus, & tanquam puer sensim ad rudimenta & elementa sermonum Dei revocandus.

4tum Caput. Primæ classis Religiosus insculpat animo hoc propositum: In Religione volo omninò sanctè, perfectè, ad normam instituti mei, quod sum complexus, vivere, omniáque servare, quæ sciam esse præscripta; ídque etiamsi nullus alius, qui in eadem Religione est aut erit, illa observabit. Nam ego non veni ad Religionem, ut vivam sicut alii vivunt, vivent, sed sicut omnibus vivendum est ex mente instituti: neque mihi aliorum vitæ, sed Regulæ à Religione sunt ad legendum initio ingressûs mei propositæ, à méque sunt tanquam norma vivendi acceptatæ. Hoc propositum à primo die tyrocinii sui usque ad finem vitæ Religiosus tenere debet.

5tum Caput. Primæ classis Religiosus insculpat animo: omni Religioso, consequenter ergo & mihi, incumbit in Religione, bona agere & mala pati, facere imperata, perpeti quæcunque obvenientia, mancipium, servum, jumentum Religionis & Prælatorum & omnium esse. Nunquam pro tota vita sperare libertatem, nunquam gratiam, nunquam laudem, nunquam præmium à superioribus vel domesticis, sed imperia, sed reprehensiones, sed contemptus, sed infra alios depressiones, sed accusationes, sed pœnas: etiamsi innocens fuero, etiamsi alius in culpa erit, non ego, etiamsi hæc, quæ jussus sum, & eo, quo jussus sum, modo egero. Omnes alii erunt Religionis filii, ego servus: omnes alii erunt in oculis, & gratiâ, ego in oblivione: omnes alii erunt apti ad omnia, ego ineptus ad omnia; de omnibus aliis nihil credetur mali, de me

omnia & nihil boni : omnes alii utiles sunt aut erunt, ego ad nihil utilis, immo damnosus semper: omnibus tutò credi poterunt multa, omnia; mihi nihil unquam: aliorum nemo custode indigus, mihi tanquam efferatæ & indomitæ feræ, aut tanquam suspecto & periculoso, caveâ & custodiâ opus erit spiritualiter; alii propter alias honestas causas religione recepti sunt, & in eâ fovebuntur, ego ex pura Patrum misericordia & receptus sum, & tenebor: aliis debebuntur spiritualiter in victu, vestitu, habitatione, occupatione meliora, & honoratiora, & prima, mihi verò spiritualiter vilissima & postrema.

6tum Caput. Primæ classis Religiosus firmissimè sibi persuadeat hoc: Ego & asinus fratres sumus, & nihil inter nos differt. Ego ipse mihi reus, fur, prædo, hostis capitalis, perpetuò, & in singula momenta sum; semper ergo mihi à me cavere, mihi suspectus esse, nunquam pacem mecum facere debeo. Amare me, indulgere mihi, est me perire; carni meæ nihil debetur nisi Virga, onus, paleæ, Crux, dolor, nuditas, inedia, sitis, frigus, labor; animæ meæ nihil debetur nisi confusio, contemptus, reprehensio, irrisio, censura, servitus.

7mum Caput. Primæ classis Religiosus firmissimè sibi persuadeat: Conscientia mea superiori meo atque Patri spirituali vitrea & crystallina debet esse semper, ut eam, cùm libet, inspiciat, nec in ea quidquam eum lateat, sed eam meliùs quàm suam ipse, vel quàm ego meam, nôrit. Neque exspectabo, dum ille inspicere velit, sed rogabo, ut velit, afferam

afferam & exponam, ut poſſit. Non invitabo ad me Diabolum ejúſque tentationes, ſpe taciturnitatis meæ ſecretíque mei, ſed primulas ejus ſuggeſtiones duci meo ſpirituali continuò aperiam. Nam celare & fugere conſcientiam ſpiritualis Patris, crimen eſt tyronis, & primus ædificii Diabolici lapis, primus ad teporem, ad inquietudinem, ad ruinam paſſus, diaboli ſecurus nidus. Superiorem, etiam odientem me, amabo. Crudus enim & aſper, magìs ad indigentiam, mores, utilitatémque meam eſt, quàm blandus & mihi compatiens. Hoc propoſitum adeò neceſſarium, & tyroni quidem propriè, dico, ut nullum aliud æquè ſit illi commendandum: hoc enim unum, omnium eſt reliquorum illi neceſſariorum quaſi ſupplementum, adeò, ut, ſi hoc habeat, non ſit alia diù deſideraturus. Et cauſa eſt, quia, cùm tyro ſit ignarus, inexpertus, paſſionum adhuc vivarum impetu facilè mobilis, ad aſtutias diabolicas cæcus, ad ſua deſideria frænanda impotens. *Inter lepram & lepram, inter bonum & malum, inter ſpiritum & ſpiritum, diſcernere non valens.* Deuter. 178. magìs de externa ſpecie pietatis ac Religioſitatis quàm de latente ejus virtute ſolicitus, uno verbo, adhuc à cæpis Ægypti non planè excoctus, ſibíque ad nihil ſublime ſufficiens, proniſſimus verò ad terrena, ad ſenſualia, ad ruinam; & eſto bonam voluntatem retineat, rationis ductu deſtitutus: nihil huic conſultius & ſecurius eſſe poteſt, quàm ut quod minus habet de ſuo, id petat ab alieno; útque is, qui ſe ipſum vix portat, præ ſpiritualis hominis teneritudine infantili, & ſe,

& alia

& alia omnia onera ſua alienis imponat humeris deferenda, alienis regatur conſiliis, imperiis, providentiis, voluntatibus. maximè quando in Religione Superior, ita Vicarius eſt Dei, & interpres voluntatis ejus certus, ut ſenſus ejus, ſit ſenſus Dei, quoad bonum ſubditi; promiſerítque ſubdito Religioſo Deus, ſe illi, per hominem Superiorem, ſuam voluntatem infallibiliter manifeſtaturum. Hoc ergo capiant & ſapiant Tyrones.

8vum Caput. Primæ claſſis Religioſus firmiſſimè teneat: cum carnis & præſertim gulæ commodis, ſatietate, voluptate, appetitu ſemper eſt mihi luctandum, tamdiu donec victor ſim & dominus mei in hac parte, *donec ad alimenta, tanquam ad medicamenta ſumenda, accedere aſſueſcam,* & purè ſoli neceſſitati, nihil voluptati indulgere condiſcam. Religioſus enim, qui gulæ ſuæ impotentiùs ſervit, & ſuccumbit, adeò vilis eſt, ut indignus ſit, cum quo diabolus colluctetur; & dedignatur Dæmon certare cum guloſo, ſed eum ſolius gulæ ſuæ gladio debellare ſuperbus ille ſatìs putat. Quo quid debet eſſe Religioſo probroſius, & deteſtabilius? certè ignoro, quid poſſit eſſe contemptilius eo, quem Diabolus ipſe judicat indignum tentationibus ſuis. Ergo rudimenta pugnarum ſunt gulæ & ventris certamina, quæ ſunt tyroni primitùs & perfectè ſuperanda.

9num Caput. Primæ claſſis Religioſus hoc ſibi perſuadeat medullitùs: Ab omnibus, cum quibus maneo, & manebo unquam, ego judicari, cenſurari, accuſari, puniri, contemni, conculcari, irrideri,

odio haberi debeo, velléque teneor, ac volo, ipse autem neminem judicare, accusare, despicere, vexare, irridere possum. Omnes alii, Domini sunt mei & Prælati, me digniores & meliores, ego autem sum omnium servus, & à Deo ad serviendum omnibus creatus atque vocatus. Illis ergo jus est in me, sed non mihi in illos. Servus enim non judicat dominos, & dominorum suorum filios, neque illos vexat, ridet aut spernit, alióve modo lædit. Servi potiùs conditio est, à Dominis talia perpeti, & silere, quia servus est. O! quantum boni, quantum lucri, quantum pacis inviolatæ tyro possideret per omnes Religiosæ vitæ suæ annos, si hunc spiritum cum lacte sui tyrocinii sugeret, & ab infantiâ Religiosâ huic cibo assuesceret!

10mum Caput. Primæ classis Religiosus hoc sibi etiam intimè persuadeat: Nisi linguam meam frenavero, vana erit mea semper omnísque Religio. Silere sit mihi semper in desiderio, loqui in necessitate. Nunquam os aperire possum, quin statim in ore lingua mea votum parturiat. Obstinatum ergo servabo silentium. *Verè enim Religiosus garrulus, est sentina peccatorum, amnis enim exundans lutum multum trahit.* A pueritiâ porrò Religiosâ, æstimatio silentii est combibenda, & nullis contrariis linguis, verbis, experimentis, exemplis, ab animo deponenda. Possunt alii in loquendo cohibere spiritum suum: at ego ita sum infirmus hac in parte, ut non possim. Fortè autem multos in hac re mihi similes, saltem inter tyrones inveniam.

11. Ca-

11mũ Caput. Primæ claſſis Religioſus conſtringi & arctari ſemper magìs à ſe, & à ſuperioribus atque à diſciplinæ cuſtodibus appetat & gaudeat, laxiora & permittere & permitti ſibi formidet. Diſcretionis ſpiritum & prudentiam apud ſe ipſum, tanquam infallibilis ruinæ principium, horreat. Modica ne ſpernat. Novitius enim diſcretus, non tantùm eſt tentatus, ſed etiam victus, etiam in vocatione dubius, immo etiam uno pede extra Religionem poſitus. tener Religioſus magìs timeat diſcretionem in fervore quàm indiſcretionem, quia per indiſcretiones itur ad diſcretiones, ſed per diſcretiones itur ad tepiditates, ad laxitates, ad diſſolutiones, ad tentationes, ad carnalitates, ad ſacrilegia, ad Apoſtaſias. Illud ſibi inclamari tyrones & juniores putent à Bernardo (Dimittite corpora, quæ de ſæculo attuliſtis, ſoli ſpiritus ingrediantur: caro non prodeſt quidquam.) Regulæ aſperitatem meditamini, quâ totam vitam atterere oportebit. Abſit, ut Tyro perſuadeat ſibi, ſe quandoque tyronem non futurum, non ùt Tyronem tractandum; plus jam ſibi poſt biennium aut liciturum aut licere. Abſit, illud, procacis cujuſdam apud Caſſianum, ſeniori ſuo obſtrepat aliquando: Num ob hoc memetipſum humiliavi, ut ſemper ſubditus eſſem? &c. Semper illud quilibet eorum ſibi occinat: Geram me ſicut primi anni Novitium. Item illud: *Cavebo mihi ſemper à parvo mundo, hoc eſt à me ipſo.*

12mũ Caput. Primæ claſſis Religioſus illud ſibi perpetuò infigat & inclamet, quòd Sanctis Ephrem,

Doro-

Dorotheo, Arsenio, Bernardo, solemne fuit inclamare sibimet ipsis: ad quid venisti? Item illud: *hoc est esse Monachum.* Item illud: *Et Senatorem perdidisti, & Monachum non fecisti.* Item illud: *Tantùm proficies, quantùm tibi ipsi vim intuleris.* Efficacissimum quippe ad constantiam in bono medium est, primos nostros spiritus & primitias resolutionum nostrarum sæpè ob oculos proponere, neque primam charitatem relinquere, sed potiùs prima opera nostra semper facere, & ut ea plena coram Deo sint, curare.

Hæc 12. Capita debent esse Tyronum Religiosorum classi, tanquam spiritualis ipsorum ædificii, seu 12. fundamenta; Debent esse tanquam 12. Articuli symboli Religiosi, quos firmissima non tantùm comprehensione & fide teneat, sed etiam, immo multò magìs executione perpetuâ assiduâque praxi in effectum deducat. Hæc capita facient, ut Tyro Religiosus Virtutem solidam & inveniat in Tyrocinio, & inventam secum educat, atque circumducat in toto reliquo vitæ Religiosæ spatio. *Siquidem Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Proverb. 22. 6. Talis Virtutis soliditas, utinam vel in veteranis senibúsque reperiri possit. An in te, qui hæc consideras, reperiatur, dispicias; útque reperiatur, aliquando tandem animum serium adjice. Non pudeat, Tyronum virtutem sectari; magìs pudeat, etiam Tyronum præludiis veteranum carere.

CON-

CONSIDERATIO VIII.

Ubi ſolida Virtus exercitanda & perficienda?

INveniſſe Virtutem in Tyrocinio, atque acquiſiviſſe, modicum eſt: tenellam creſcere, adoleſcere, convaleſcere oportet. Monſtrum eſt enim, partum ab ea mole, in qua natus eſt, incrementis ſumptis, non recedere. Cui bono infantuli, ſi ſemper infantuli? ſpes ſuccreſcendi ſemina ſpargit; alioqui ſpargere, non ſuccretura, detrimentum eſt. Et Virtus fruſtrà quæritur, ſi non perficienda quæritur. Rectè Sapiens: *Semita, ait, Juſtorum, & virtutis cultorum, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit ad perfectum diem.* Pueri 100. annorum probro & irriſioni ſunt apud Prophetam. *Homo etiam ille, qui cæpit ædificare, & non potuit conſummare*, Illuſus eſt ab hominibus. Joſeph porrò laus illa eſt: *Filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens.* Et illa Davidis: *David autem proficiens, & ſemper ſe ipſo robuſtior efficiebatur.* Tum & illa Salvatoris JESU: JESUS proficiebat ſapientiâ & ætate, & gratiâ apud Deum & homines. Denique ſi alicubi jubemur eſſe parvuli, id malitiâ tantùm, non virtute. aliàs verò inclamatur parvulis ſenſu: uſquequo parvuli diligitis infantiam? Igitur Religioſe, cum tua primæva virtute

virtute semper cresce, semper adde, semper profice, semper ambula, semper tibi displiceat id, quod es, si vis pervenire ad id, quod non es.

At ubi virtutem suam, & quando Religiosus Societatis imbecillam roborabit, inchoatam consummabit, imperfectam perficiet? Breviter & rotundè dico: Dum Societatis homines in Collegiis vivunt, dum scientiarum præsidia comparant, dum disciplinas tradunt aliis, dum instrumenta zeli animarum & sibi conquirunt, & ipsimet fiunt, dum officiis inter domesticos pariter variis distinentur, & ad futuros labores præludunt, dum in tertia probatione, scholâ affectûs, exercentur, attritúmque nonnihil fortè spiritûs & virtutis fervorem restaurant, tunc virtutem, olim in Novitiatu haustam, perficere & roborare atque solidare debent.

Suprà dicta namque omnia, & hisce similia ita à nostris tractanda sunt, ut per illa ac inter illa, non tantùm non perdatur, sed solidetur potiùs, augeatúrque spiritus. Itaque hæc est unica de multis Societatis circa suos Religiosos curis cura maxima, spiritum in suis fovere, promovere, augere, robustiorem perfectiorémque facere, eúmque eò tandem perfectionis, roboris ac soliditatis deducere, ut filios suos, in opus Evangelici ministerii, securè possit tanquam ex umbra in lucem, & ex arena in aciem producere. Quod quomodo fieri possit, hac in Consideratione, ad normam præcedentis, sub nomine secundæ Religiosorum Classis expendendum est; certáque propositorum ac observa-

tionum huic Classi convenientium, per quæ virtus perfici & exercitari possit, Capita consideranda, & in animum demittenda.

1 mũ Caput. Secundæ Classis Religiosus Societatis (de hoc enim præcipuè nobis sermo & huic ista consideranda proponimus) menti suæ insculpat profundissimè propositum & dictamen istud. Quidquid hactenus in Religione feci, pertuli, perfectionis paravi, aut nihil, aut exiguum quiddam est, ac rude, impolitum, valdéque imperfectum ac infirmum: proinde non tantùm non debeo cessare, non tantùm non debeo quietem & libertatem laxitatémque vivendi sperare, spectare, sed potiùs magìs ac magìs debeo, in Tyrocinio inchoata perficere, formare, & expolire. Absit, ut credam licitam mihi fore & dissimulandam in me à Majoribus esse libertatem, & leviorem transgressionem. Absit, ut credam mihi postmodum non perinde invigilatum iri vel invigilandum esse à præsidibus. Absit, ut credam in Collegiis minùs spiritui, minùs animæ cultui, minùs mentis recollectioni, minùs internæ externæque modestiæ ac mortificationi, minùs orationi, reflexioni, devotioni, Regularum observationi attendendum esse, vel attendi à me posse; si affectus eâ spe eáque fide ac persuasione sim, pro certo perdendus mihi primævus spiritus, inque tepiditatis barathrum proruendum est, *Adjuva me Domine in bono proposito meo, in sancto servitio tuo, & da mihi hodie perfectè incipere, quia nihil est, quod hactenus feci.* Thom. à Kemp. lib. 1. Etenim: *Si inchoata bona fortis operantis manus ad per-*

perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio, contra hoc, quod operatum est, pugnat. Gregor. 3. p. past. adm. 35. hinc per Salomonem dicitur: *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis,* Prov. 18. Cujus propositi est illa ratio efficax, quia tempus Tyrocinii & Religiosæ juventutis ad hoc Religio dat suis, ut in eo discant, quomodo per totam vitam debeant postmodum vivere, & opera Religionis exercere. Itaque Tyrones exercitia Tyrocinii sui non debent cum Tyrocinio ipso relinquere, sed secum ad Collegia deferre, & in Collegiis eadem omnino exercere. Nam si v. g. in Tyrocinio doceamur meditari; & modum meditandi, reflectendi, convincendi, proponendi, postulandi discamus, quem tamen in Collegio postmodum negligamus: dicam, nos Tyrocinii tempus non malè quidem collocavisse; negabo tamen nos in hac parte bene Tyrocinium explevisse ac posuisse. Discit enim miles in otio, non ut artem pugnandi negligat, sed potiùs, ut sciat & exerceat artem quam didicit, in aperto prælio. Sic & Religiosus discit in Tyrocinio, qualis debeat esse, & quâ cum perfectione actiones suas omnes peragere debeat in Collegio, & in toto Religiosæ vitæ suæ spatio. Ex quo elucescit illorum stultitia Religiosorum, qui quò antiquiores in Religione sunt, eò laxiores in conscientiâ, & indulgentiores in se sunt, laxitatémque suam per antiquitatem excusant, quam in junioribus per hoc, quòd Juniores sunt, tolerandam non putant.

2dū Caput. Secundæ classis Religiosus assuescat,

non tantùm rectam, puram, defæcatámque inten-
tionem in omnibus (præcipuè studiis) habere, sed
etiam eandem crebrò in diem innovare, atque si
pulverem contraxit, expolire. Intentio enim recta,
omnium operum est anima. Nihil ergo quæratur
à Religioso, nisi Deus, nisi propter Deum. Hoc sit
ei familiare, sed ignitum alloquium: *propter te Do-
mine, propter te.* Item: *Ad majorem Dei gloriam.*
Item: *Domine ut tibi placeam soli ampliùs, ut mihi
placeas solus ampliùs*: quia mihi places. Item; Do-
mine quia vis, & quia dignus es. Item: Omnipo-
tentia, sapientia, bonitas, providentia, dignitas, vo-
luntas, amor præveniens: ecce ego, & omnia ope-
ra mea coram Te, non propter me, non propter
alios, non propter consuetudinem, sed propter te
Deus meus & omnia, quia hæc est voluntas tua, &
dignitas voluntatis tuæ.

3tiũ Caput. Secundæ Classis Religioso sit com-
mendatissimus ordo, modus, diligentia, applicatio
in agendo. Ordo, ut omnia agat suo tempore, lo-
co, serie. Modus, ut uniuscujusque actionis suæ
habeat, peragendæ cum perfectione, modum, con-
stétque illi ratio quamlibet actionem peragendi
cum fructu, merito, profectu, Dei gustu. Diligen-
tia & applicatio, ut seriò agat quæ agit, ut ad mini-
ma (modò proficua actionis perfectioni) adver-
tat, & omnibus numeris expletum opus Deo exhi-
beat. Ad ista se se assuefacere, quàm proficuum
Religioso, quàm fœcundum sit, dicere paucis non
possum, multis hôc locô nolo: suadeo tantùm, ut
id Religiosus proprio discere satagat experimento.

quod

quod facilè poterit, si Dominus & sui juris, non autem actionum esse voluerit, si præviâ consideratione omnia agere voluerit; si cujuslibet operis sui rationem, Regulam modúmque prævisum, atque vel à se excogitatum, vel ex praxi Sanctorum, vel ex Magistrorum spiritualium ductu habere in promptu curaverit.

4tum Caput. Secundæ Classis Religiosus tempus, pretiosissimum ùt est, ita etiam reputet, atque adeò avarissimè captet, & tenacissimè servet; maximè autem micas temporis in numerato habeat, & unicuique parti ac micæ occupationem, præcipuè piam designet, eámque in eo expedire assuescat. Fures temporum, confabulatores socios, & inutiles, nec profuturas occupationes, cognitiones, congressiones, curas declinet. Nullam non temporis partem, vel spiritui, vel studiis, vel labori utili impendat. O quàm multos audire solemus, suæ tepiditatis in spiritu causam, in defectum temporis ad vacandum Deo & sibi, in molem studiorum & occupationum assiduitatem conjicientes, qui potiùs ignorantiam redimendi & collocandi bene tempus incusare debuerant! Quàm multæ quotidie temporis particulæ his effluunt otiosæ & inutiles, quas si rapuissent, & vel solas in die, ascensui in Deum, exercitio interno virtutum impendissent, non tantùm tepiditatis spiritum & sensum in se ignorâssent, sed ignitissimi fervore, unitissimi Deo, locupletati meritorum & virtutum gradibus, actuúmque numeris singulos in dies, evasissent. Sed hæc à superborum ac negligentium oculis abscondit Deus,

ut sordescant in sordibus suis & refrigescant corde, *& evanescant in cogitationibus ac studiis*, & exerceantur in conscientiis suis, quas non colere, sed mentiente sibi iniquitate clamantes obruere, & vanis, ac tantùm *ad excusandas excusationes in peccatis*, excogitatis velaminibus & formalitatibus, atque scilicet discretionibus, mutas facere volunt & contenti sunt.

5tum Caput. Discat Religiosus secundæ classis, non ambire occupationes extraneas sibi, discat potiùs minorari actu, non gaudeat videri aptus ad agendas res ad illásve adhiberi. Sufficiat illi occupari cum Deo, cum suo, (si quod habet) domestico officio. Amet cubiculum, quia anima sedendo & latendo fit doctior, fit melior, fit sanctior, fit cultior, fit purior. Ne discat Religiosus ante messem efflorescere. Agnoscat se adhuc canalem esse, non concham; nondum habere satìs pro se, quo infundatur, nedum pro aliis, quod effundat. Venient tempora, in quibus proximis inservire poterit, (si tamen tunc voluerit) usque ad defatigationem. Immaturi zeli, ordinariè sunt tepiditatis ac fastidii spiritualium rerum, negligentiæ verò in studiis filii; sementis murmurationum & linguarum, occasio turbationum & tristitiarum &c. Quòd, si Religiosum talem ad actiones & occupationes protrahit aliquando obedientiæ vel caritatis necessitas; obediat, impendátque se, sed non expendat, non effundat; commodet se actioni & negotio, non donet, illúdque ipsum ordinatè, quo ad tempus, locum, modum, superiorum mentem, sui cordis pacem,

pacem, exequatur, nec ultra quàm sat est, illi immoretur. *Qui ..minoratur actu, sapiens.* Eccl. 38. 25.

6tum Caput. Consuescat secundæ classis Religiosus, certam rationem & seriem, praximque & occasionum varietatem, virtutibus exercendis idonearum perspectam habere, atque ipso actu Virtutes ex proposito ac destinato, per anni, mensis, & dierum seu horarum intervalla exercere, earúmque sive internas, sive externas actiones, sibi familiares & faciles efficere. Frustra enim meditatio de rebus piis, etiam quotidie instituitur, si actu & re ipsâ, Virtutum pietas quotidiè non exercetur. Frustra etiam, & parvo profectu, Virtutum, inter meditationes proposita desideriáque concipiuntur, nisi eadem proposita, certis temporibus ac designatis occasionibus sæpiùs in diem, assignato etiam numero vitiorum, actibus ipsis perficiantur. Frustra animus Virtutem, oblatâ qualibet insperatâ & fortuitò occasione, retenturus & exerciturus, neque transversùm in subitanea perturbatione passionis agendus præsumitur, nisi antea idem animus, aliquantùm longo tempore, cujuslibet virtutis, quotidiano & destinato usu ac exercitio, partim praxim cognoverit, partim possessionem adierit, & se se bene ac longè antè voluntario ac meditato studio, ad imprævisas imperatásque virtutum exercendarum occasiones præmunierit & assuefecerit. Sicut enim discimus in scholis, Latinè, emendatè, aut ornatè loqui meditatò, ut extra scholas possimus eâdem formâ loquendi uti quibuslibet se

offerentibus occaſionibus, etiam impræmeditatè, aut ſicut fidicen in conclavi, attentâ meditatione diſcit & aſſueſcit lyrâ canere, ut in publico poſtmodum ſine ulla etiam attentione animi, expeditè & harmonicè poſſit ludere: ita Religioſi meditatò & ex propoſito actus virtutis, nunc hujus, nunc illius, tanto vel tanto numero exercere debent, ut poſtmodum ad offerentem ſe fortè quamlibet occaſionem alicujus virtutis, parati faciles & aſſuefacti inveniantur. Atque hoc, quod iſto in capite retuli, adeò verum & neceſſarium cenſeo, ut ſine ejus documenti practico uſu, nullam virtutis ſoliditatem unquam Religioſo ſperandam aſſeram, quantumlibet ille multas decades annorum, in ſtadio vitæ Religioſæ decurrerit. Neque aliud eſt, quod adeò multos decipit, qui ſe ſenes Religione quia recordantur, ideo etiam perfectos in virtute, & ab aliis credi volunt, & ſemetipſi falsò arbitrantur. Qui utinam errorem aliquando agnoſcant ſuum, *& vel in hora ultima ad vineam Domini*, Matth. 20. 6. Scilicet ad animam ſuam excolendam, interiore operatione convertantur, ne fortè aliquando, totâ die otioſi ſtetiſſe convincantur.

7mum Caput. Aſſueſcant ſecundæ claſſis Religioſi, omnes quotidianas & quandocunque in vitam ſuam incurrentes, ſive occupationes, ſive actiones, ſpiritu ſublimare, devotionis fervore incendere, Virtutum variarum gemmis veſtire, omnium denique requiſitarum circumſtantiarum perfectione & conſummatione animare: ſive actiones occupationéſque ſint naturâ objectóque ſuo ſpiri-
tuales

tuales, sive ex objecto quidem indifferentes, ex solâ verò operantis voluntate atque intentione in spiritualium indolem transformatæ sint. Non sit contentus, malam aut otiosam indifferentémve actionem non esse, quam agit: non sit contentus bonâ à se intentione fieri: addat insuper fervorem, attentionem, devotionem, Dei vel Christi, vel Sanctorum imitationem: addat internam spiritûs unctionem, addat sui in opere, suæque voluntatis in Deum & Dei voluntatem liberalem & hilarem transfusionem, resignationem, sacrificationem: addat his gemina, quæ hic explicare & brevitas non sinit, & unicuique à sua caritate, quæ ingeniosa est, atque à gratia Divinâ, quæ nemini unquam deest, facillimè dictantur. Neque hic operandi modus aut difficilis aut spinosus & onerosus viribus corporis est, si prudentia atque discretio ac directio adsit, si per partes discatur, & sensim consuetudo ad multa traducatur, si præmeditatò quælibet opera exerceantur. Hic certè operandi modus, eorum, qui eum sibi familiarem reddunt, perficit virtutes, auget merita, ditat animas, purificat corda, gratias omnis generis provocat, Deum familiarem facit, & Religiosum ad futuras circa proximorum salutem curas communit, securúmque facit. Quod quidem melius experientiâ quàm doctrinâ discitur.

8vumCaput. Assuescat secundæ classis Religiosus, libertati Religiosæ in observatione Regularum suarum, in loquendo de Deo & divinis, cùm tempus poscet; in fungendo & exequendo officio suo, juxta

exigentiam ejus, praximque receptam, esto aliis id sit submolestum; in declinandis defectibus aut etiam cùm opus, & cui opus, deferendis, In observandis consuetudinibus ordinis sui receptis, antiquis & usitatis, in usu pœnitentiarum externarum, publicarum. Nemo te Religiose complicem defectûs sui speret, nemo non vereatur te præsente in disciplinam peccare, & non ideo quòd revereatur delationem tuam, sed quòd revereatur conscientiam & observantiam tuam. Faciat tibi authoritatem non ætas, non canities, non doctrinæ opinio, non officium, non libertas arguendi, sed tenor vitæ ad disciplinam institutæ, sed professio libera, atque sancta, inverecundáque ad Regulæ præscriptum semper vivendi libertas, ita ut reprehendat, vel reprehensura videatur alios, non lingua tua, sed vita, sed integritas, sed inflexibilis ab instituto & recto constantia. Qui sic vivere didicerit, huic ad solidam Virtutem diù aliquid deesse non possit. Utinam domus & Ordines Religiosi, talibus viris virtutum abundent! Talis ratio vivendi cùm consummata est, non ad mediam hanc, de qua nunc agimus, sed ad tertiam classem mox tractandam pertinet: attamen dum peragatur, ad 2dam spectat: quinimmo & legimus & experimur, quandoque juvenum virtute præditorum præsentiâ graves etiam atque senes, & Præpositos Religionum, ad meliora componi solere.

9num Caput. Assuescat secundæ classis Religiosus, zelum Dei gloriæ & animarum quàm maximum in spe & exspectatione, sed temperatum in executione

ne habere. Dum in hac classe est, zelum suum in hoc præcipuè exerat atque excolat, ut sese instrumentum zeli Deo, Ecclesiæ atque Societati quàm accommodatissimum efficiat, sive Virtus, sive doctrina, sive prudentia, sive quolibet aliud requisitum spectetur. In veritate dico: hominem Societatis, olim circa salutem aliorum omnis generis hominum atque statuum occupandum, oportet esse in omni ente perfectum, hoc est, oportet esse in omni virtute, scientiâ, eruditione, animorum tractandorum dexteritate insignem, aut certè non mediocri ter versatum. Talem ergo se efficere curet secundæ classis Religiosus, & satis spatiosum zelo suo campum, dum in hac classe est, habebit.

10mum Caput. Assuescat secundæ classis Religiosus, nullam sibi in Religione neque pro præsenti tempore, neque pro futuro occupationem, locum, tempus, seriémve actionum ab alieno arbitrio dependentium assignare aut promittere. Ad omnia se paret: nihil specialiùs & firmiùs desideret, esto etiam humilius, zelo ingenióve suo convenientius, id quod desiderat, videatur. E contra etiam à nullo refugiat impotentiùs (nisi quod ambitionem redoleat) sed sic se fingat, ut mollis cera sit, ut senis baculus & cadaver sit, ut instrumentum sit, quod manum elaborandam non sibi deligit, sed ejus deligendæ curam artifici relinquit, & ad delectam applicari ab eodem exspectat. Sit Religiosus aquæ similis, quæ nullam naturâ figuram habet, sed eam recipit, quam vas habet, cui infunditur, nullam etiam retinet, postquam ex vase effunditur,

ditur, sed alterius continuò vasis figuræ assimilatur. Talis Religiosus esse discat; non adhæreat loco, Superiori, socio, officio, hominibus, tempori, sed ejus vasculi figuram induat, ejus, inquam, imperii, omnibus circumstantiis se se accommodet, à quo dirigitur. Aquæ congelatæ proprium est, retinere vasis figuram, etsi extra vas ponatur: sic Religiosi frigidi atque tepidi ingenium est, adhærere affectu ad placita sibi loca, officia, opera, & ægrè ab illis avelli, ad illáque desiderio aspirare.

His exercitiis è Tyrocinio desumpta virtus, à secundæ classis Religioso in Collegiis exercenda, & roboranda est: dum studet, dum docet, dum officiis distinetur aliquibus domesticis, dum sodalitates administrat, dum foras quandoque ad præludendum zeli sui fervoribus dimittitur. Horum exercitiorum munita præsidiis virtus in Collegiis non labat, non flaccescit, immo roboratur & validior efficitur; aliàs verò iis destituta, nihil mirum, si non flaccescit tantùm, sed etiam evanescit. Non labor scientias comparandi, sed neglectus, inter conquisitionem scientiæ virtutes exercendi, virtutibus nocet. Quâ in re, sicut & in totis his capitibus istâ consideratione explicatis, inexcusabiles sunt nostri in Collegiis Scholastici, quia nulli de nostris alii, tam commodè his omnibus quæ hactenus retuli, satisfacere possunt, ùt Scholastici: quòd si non faciunt, nemini præterquam sibi & ignaviæ suæ imputare debent.

CON-

CONSIDERATIO IX.

Ubi virtus possidenda, & tanquam robusta atque solidè perfecta, securè tenenda, & in usum revocanda?

TErtiæ Classis Religiosis, hoc est perfectis & consummatis viris, hæc Consideratio servit: est tamen & ab imperfectis nobis consideranda, ut sciamus, quid desit nobis, & quò adhuc conandum sit nobis.

Post exacta Tyrocinia, post completa studia, post comparata zeli animarum & gloriæ Divinæ subsidia, post instauratum tertiæ probationis fervorem spiritûs, prodit tandem miles tanto labore atque tempore cultus, probatus, politus, institutus in aciem; Virtutísque suæ tanquam jam solidæ & exactæ campum nanciscitur, edit specimina, experitur firmitatem; & quia supponitur à Religione perfectus, supponitur & à me in hac Consideratione, ideóque in eâ non proponam (ùt in primis factum est, capita exercitandæ & perficiendæ virtutis, sed capita potiùs possidendæ atque usurpandæ.

Atque imprimis perfecto isti ac veterano, jámque tertiæ Classis Religioso commendata esse desidero, tam illa, quæ primæ classi, quàm ista, quæ secundæ classi Religiosorum superiùs capita sunt proposita: neque enim talia illa sunt, ut in perfectis

locum non habeant, absit: immò vèl in his reside-
re debent quàm maximè, fundamenta enim sunt
& parietes spiritualis ædificii, sine quibus laquear
& tectum, & quælibet coronis frustra exstruitur.
Notum est apud spiritualesMagistros,tres illas vias,
quibus hæ nostræ classes tres respondent, nempe
Purgativam,Illuminativam,Unitivam,nec esse, nec
debere esse inter se discretas,ut una alterius vicissim
officia non degustet.Degustant quandoque incipi-
entes, etiam delitias perfectorum: sed & perfectis
expedit, nonnunquam descendere ad labores &
lacrymas incipientium: blanditur sæpè incipienti-
bus divina bonitas, & se se in sua dulcedine illis
gustandam propinat, ùt scilicet per viam purga-
tivam, per se se horridam,alacriùs currant; sed &
in perfectis dormitat quandoque perfectio, &,nes-
cio,quonam modo,usu ipso Deus ejúsque conver-
satio ac familiaritas vilescit. Quo in casu, ait Bern:
excitandus est timor,ut excitet, seponenda parum-
per pia Dei vocabula & nomina, Patris scilicet,
amici, sponsi; recolenda autem interim illa seve-
riora, Domini, Judicis, vindicis & ultoris. quòd
amicus, quòd sponsus est, id tibi ô homo est, sed
quòd Dominus, quòd Judex, quòd ultor, hoc
sibi & pro suæ gloriæ zelo reservavit. Atque id
ipsum dico de viæ Illuminativæ sectatoribus. de-
bent namque isti & aliquando incipientibus con-
sentire, & ad perfectos ascendere; & vice versâ
ad illos tam ascendere incipientibus, quàm descen-
dere perfectis inutile non est. immo verò amantes
Virtutum,& curiosi profectûs sui observatores viri,
debent

debent ſtata aliqua vitæ ſuæ tempora habere, quibus nunc in hac,nunc in illa,nunc in tertia incedant via. eſto ſpecialiùs & frequentiùs occupari debeant in ſuâ. Sed jam ad promiſſa capita veniamus.

Primum Caput, in quo tertiæ claſſis Religioſus virtutem ſuam ſolidam poſſidebit, & poſſidendo uſurpabit, eſt,ut ſciat abundare & deficere, immo ut plus defectum gaudeat perpeti, quàm copiam amare. Ingenuè dico: ſæpè ad ſcopulum paupertatis atque defectuoſitatis corporalium commodorum, perfecti ac veterani allidunt virtutes ſuas, & naufragium perfectionis in puſillanimitate & amaritudine cordis patiuntur. Quoties perfecti iſti implent domum murmure, ſi quid aliquando ad menſam, ad veſtitum, ad lectum, ad cubiculum, ad currum deeſſe, quid dico deeſſe? non deeſſe, ſed minùs copioſum, delicatum, pretioſum, molliculum, nitidum, ſuperfluum, quàm volebant, adeſſe contigerit! Et tamen ſolida virtus, perfecta virtus, hæc non ſentit, his non cedit, quia ſcit abundare & deficere, immò gaudet deficere, erubeſcit abundare. Malè veſtiri, malè veſci, malè habitare paupertas non poteſt.

2dum Caput, in quo ſolida perfecti Virtus eminet, eſt linguæ imperium. *Nam qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir.* Iac. 3. 2. Minimum eſt in perfecto, amare & colere ſilentium; ſed inter loquendum verbo non labi, in labiis ſuis non capi, ſcire & poſſe cohibere ſpiritum, hoc perfecti eſt. In quo genere nulla, nulla omnino diligen-

tia

tia superflua est, immò verò nulla satìs est. At utinam non eos qui perfecti sunt opinione suâ & nostrâ, experiamur esse linguæ super cæteros superbioris, jactantioris, mordacioris, obtrectantioris, in censuris, in decretis, in secretis, in adulationibus, in dolositatibus, in mendaciis effrenatioris.

3tium Caput, in quo solida perfecti virtus eminet, pacis amor & tutela est. Perfectus vir nescit lædere, nescit lædi, nescit irasci, nescit ulcisci, amat odientes, laudat detrahentes, juvat impedientes, conciliat à se vel inter se diffidentes, aufert de medio fratrum scandala & discordiarum semina. Est pacis filius, est pacis author, est pacis pater & princeps, & Angelus, est pacificus. Pretiosior est illi uncia pacis & fraternæ caritatis, centum libris discordiæ. Sed ô quàm rari ambiunt illud sibi convenire: *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur!* Parum scilicet est, Filium Dei esse; præstat, diabolum inimicum pacis æmulari.

4tum Caput, in quo solida perfecti virtus eminet, est linguæ dominium, sed à proximè posito diversum. Linguis Superiorem esse, earum sensu carere, gustu pasci, morsus earum in omni opere suo securos sic sperare aut supponere, ùt umbras corporibus novimus comites ire, occallescere ad aculeos linguæ; famam, honorem, opinionem suam ex quacunque re linguis omnium creaturarum donare, ac inter bona derelicta, quæ primò occupantis fiunt, reponere, sacrificium illam Deo facere, & super Altare linguarum immolare atque holocaustum concremare: neminem ad restituendam sibi famam

famam ulterius (ex sua quidem parte) obligatum velle, immo peccantem in eam, non peccare sed mereri velle; detractorum suorum meritis se se apud Deum fulciri, vestire, ornare: detractiones mercedem suam putare & petere, atque inter panes quotidianos, quos in oratione Domini quotidie petimus, collocare atque mendicare, denique se detractionibus indignum judicare: nemini de suis detractoribus verbum ullum facere, & etiam coram Deo de illis silere, nisi cùm libeat pro eis non sub detractorum nomine detractionísve causâ orare: ita superiorem linguis esse, hoc est libertatem nancisci perfectorum, & terriculamenta ridere puerorum. Parvæ adhuc virtutis, & arundineam soliditatem habentis est, metu, sensu, flatu linguæ alienæ agitari.

5tum Caput, in quo solida perfecti virtus eminet, est obedientia. Perfectus non est, cui præesse animus, obedire ægrè est. Perfectus mavult subesse 100. Præpositis, quàm uni præesse subdito; perfectus obedit, quia amat obedire, & ideò tantùm ut obediat, sive ut Deo ad voluntatem faciat. Perfectus differentias imperantium non novit, quis imperet, qualis? quid? quomodo? nihil attendit, quia Deum attendit. Perfectus, verè, non fucatè, re non spe, facto non debito, subjectus & subditus est, nullâ suâ magnitudine ullum, ne dicam Prælatum, premit: pueri instar parvuli, instar agni & oviculæ gubernari sustinet, immo postulat: moneri non refugit, monitus non excusat, sed mansuetus etiam in flagella paratus est. Nobilitatem, erudi-

officia, gradum, ætatem, labores, non jactat, non repetit: non authoritate gravis est: fulcrum superioris est, & pro omnibus apud superiorem, sed non contra superiorem, nec cum molestia superioris, refugium est. Perfecto superior libenter, simpliciter & fiducialiter imperat, quia perfectus, simpliciter, & fideliter, & prudenter imperata exequitur. Perfectus excusationis linguam non habet, morari nescit, frontem in mutatione non contrahit, de dispositione non præcogitat futurâ, non turbatur de factâ, in Dei voluntate & ordinatione, ac providentia se negligit, & securus dormit.

6tum Caput, in quo solida perfecti virtus eminet, est exemplum, quo præire omnibus in omnibus non tam laborat, quàm facilitatem, consuetudinem, naturam habet. Perfectus enim Regula viva est inter Religiosos, quod enim Regula dicendo, hoc perfectus faciendo præcipit. Perfectus præit exemplo, quia compendiosum iter est exemplorum. Præit verò exemplo obedientiæ ac subjectionis, facilitate & tractabilitate: Exemplo paupertatis in victu, vestitu, lecto, cubiculo, supellectili, rerum simplicitate: Exemplo minimorum diligentis & accuratæ & magnæ observantiæ: Exemplo consectationis humilium, ac vulgo etiam ab humilibus & postremis negligi solitorum, apud perfectos enim nihil humile & parvum est: Si modò Deo placet: placere enim Deo maximum illis est, solùmque Dei placitum est apud illos ratio & mensura, & pretium, tum rerum, tum occupa-
tionum,

tionum, tum actionum: Unde ubicunque placitum Dei inveniunt, illud enim maximum est, esto ignaris & cæcis minimum sit aut vilissimum, & humillimum, sive abjectissimum. Quo sensu verò etiam *unum jota & apicem mandatorum suorum, etiam minimorum, qui servet, hunc magnum fore in Regno cœlorum, refert.* Matth: 5. 19. Denique Perfectus præit exemplo vitæ communis & fugâ omnis, in omnibus, singularitatis.

7mum Caput, in quo perfecti solida virtus eminet, est Temporis bonus usus, bonáque, ordinata, sancta, perfecta dispensatio: quia enim illius defectu laborat, & quia illud maxima parte proximorum saluti impendit, illo ad agendum cum Deo abundare non potest, occupátque & redimit illud, ubi potest, & redemptum tenet, & in brevi tantùm consummat & peragit, ut in eo expleat tempora multa, raritatémque ac brevitatem, fervore atque ignita intensione, & in Deum ebullitione, atque ejaculatione impetuosissimâ, sed reverentissimâ, sed humillimâ, sed amorosissimâ, compensat. Quòd si se aliquando relaxant tempora, & otia indulgent, tum perfectus laxat retia in capturam, tum perfectus effunditur, & se dispergit totus in Deum, perit totus & perdit se in Deo, mente excedit, gulosè atque sitibundè de Deo haurit, quod esurientibus Deum communicet. Non oberrat compita urbis, non invisit domos, non terit per cubicula aliorum sibi & aliis tempus, gaudet se occupationibus suffurari, & Deo reddere posse. Nescit fastidire Orationem, longas non accusat orandi & examinandi

horas, esurit & sitit sacrificia, atque Sacramenta; verbo. *Boni diei particula illum nulla præterit*, Eccl: 14. quâ non negotietur Deo, vel non agat cum Deo.

8vum Caput, in quo perfecti solida Virtus eminet, caritas proximi, caritas fraterna est. in perfecti vitâ & moribus illud legere est: *Caritas patiens est, benigna est, caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* 1. Cor: 13. 4. Perfectus gaudet carere, ut aliis sufficiat: sibi durus, aliis blandus & mitis, & liberalis est. Neminem contristat, neminem contemnit: non verbo, non facto, non signo, non postulato. Omnibus cedit, omnibus se postponit, & postponi gaudet. Supportat infirmitates, dissimulat mores aliorum, interim cavet, ne quid in se sit, quod supportari ab aliis sit opus. Neminem spe sui boni amat, sed omnes in Deo, & propter Deum. Omnium mancipium est, præsertim qui indigent eo. prodigus laboris, virium, commodorum, vitæ suæ, modò aliis prosit, hoc est, modò alios meliores faciat. Rogatus nihil negat, quo ipse carere potest & habet. Inferiorum est servus, parium mancipium, superiorum jumentum. Sic inter multos vivit, ac si aut cum nullo esset, aut inter illos non esset, incurrit in neminem, nisi fortè exhibitione caritatis.

9num Caput, in quo solida perfecti virtus eminet,

net, est præsentia sui, sive reflexa vita. Perfecti est, circumspectum esse, capi non posse, nihil impræmeditatò, nihil imprævisè facere. Supereminere rebus, non immergi. Cor habere capax & latum, quod in guttis occupationum & solicitudinum non mergatur; prudentiâ, veritate, decoro instituti sui, puritate & fructu conscientiæ, dignitate Divinæ voluntatis gubernari. Rationi cedere & ejus servum esse: nec spe, nec metu, nec amore, nec odio gubernari. Pecuniæ amore; metu inopiæ non tangi: imò magìs metum inopiæ quàm inopiam metuere; in numerato vitam suam actam agendámque habere, ad se crebro redire, & se sibi restituere. spiritus probare suos, præsertim si vehementiùs impellant; hisce tardiùs obsequi, nec nisi bene explorentur origines ac fines eorum. Aurigante discretione, in omnibus & ad omnia progredi. Ordinem habere, amare & servare, non tantùm dum quietæ vitæ spatium est, sed etiam dum solicitioris: in hac enim perfecti est ordinatum esse, & veluti boni ductoris inter hostiles acies compositis suis agminibus incedere. Qui enim in vitâ, quantumvis per se inordinatâ & distracta atque irregulari, ordinem & Regulam tenere porest, is profectò solidè suus est, solidè sibi constat, solidámque virtutem habet, *éstque similis viro prudenti, qui ædificavit domum suam supra petram: in quam surrexerunt pluviæ & venti, & aliæ nubium furiæ in cassum, quia firmata est supra firmam petram.* Matth: 7. 24. Tales autem perfecti in uno annulo insculpi omnes possent.

10mum Caput, in quo solida perfecti virtus eminet, est fidelitas, atque etiam liberalitas in Deum. Perfectus vir aut non sentit, aut ridet morsus vanæ gloriæ. ita gloriam suam evacuavit, ita amorem sui omnem sepelivit, ut fidem fecerit Deo, quòd non quærat, nec sit quæsiturus quæ sua sunt, sed quæ IESU Christi, & quæ gloriæ Dei. inde Deus metu infidelitatis solutus, ac de fidelitate securus, nihil hominem veretur, nihil celat, nihil negat, se & sua bona illi concredit, etiam rara, etiam mira, sciens quia fidelis est cui credit, & non sibi sed Domino negotiatur atque lucratur in talentis Domini. Immo verò Deus, dum tali homini beneficia donáque sua largitur, scit se non homini, sed ipsi sibi, ea quodammodo donare ac largiri. Quia enim novit hominem talem non suam privatam, sed Dei gloriam in omnibus quærere, non sibi quidquam, sed Deo omnia adscribere atque tribuere, donis Dei non in suum sed in Dei ipsius commodum, hoc est, exaltationem uti, inde fit, ut Deus securus ad talem hominem juvandum, ditandum, honorandúmque, etiam in oculis mundi, sese demittat, satìs sciens, nihil eorum quæ homini fecerit dederítve, apud hominem ipsum remansurum, sed ad Deum ex fidelitate hominis rediturum. Itaque fidenter Deus effundit bona sua in talem, quia certò, scit se non in alium sed in se ipsum illa profusurum. Atque hæc est causa radicalis, quare Deus *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, Iac: 4. 6. *Quare humilia respicit, & alta à longè cognoscit*. Psal, 137. 6. Nempe à superbis rapinam suorum

suorum bonorum extorquet ac repetit, in humilibus autem non illos, sed seipsum ditat, nec illis, sed sibi ipsi quodammodo benefacit. Quamobrem hæc, de qua loquimur, fidelitas, humilitas est, caritas est, amicitia Deo bene volens, paupertas spiritûs, puritas intentionis est. Hæc fidelitas, vanæ gloriæ mors est, sepultura est, oblivio est: utpote quam in cognitione proprii nihili atque imperfectionis & insufficientiæ, contemptúque sui & odio demersit, & in æternum obruit, abyssísque nihilitatis operuit. Hæc fidelitas ex notitiâ Dei, ex notitiâ nutricis omnium gratiæ promanat, atque ideo omnia à Deo, omnia Dei esse Deóque deberi protestatur: quæque protestatur, facit, omnia Deo fideliter ad novissimum quadrantem semper restituit, parata & avida plus etiam dare & supererogare Deo, si contingeret habere aliquid non Dei, vel non à Deo. Quod quia non potest fieri, gaudet; & solum Deum esse omnium fontem, cui omnia debeantur, contentissima est. Et hæc est liberalitas caritatis, cujus sensum perfecti nôrunt.

11mum Caput, in quo eminet solida perfecti virtus, est zelus gloriæ Dei & animarum, de quo non amplius addo, quàm quòd hic sit cibus perfectorum, hæc vita, hæc substantia. Angeli sine zelo nihil sunt, ait S. Ambrosius, & perfecti consimiliter. Uno verbo, in zelo ita est perfectio, sicut Pater in filio. Zelus enim perfectionis filius est: quia perfectionis est lucere & ardere; & omnis qui audit, dicit: veni. Perfectio gignit zelum, zelus perficit perfectionem, qui enim verè perfectus est, is etiam

verè zelosus esse cogitur. rursum, qui verè zelosus est, perfectioni servire stimulatur, tum ut faciat quod alios docet, tum ut defectibus suis salutem aliorum non impediat, ut gratior Deo factus, gratias uberiores ad juvandos alios lucretur. Unde zelosum esse & perfectum non esse, perfectum esse, & zelosum non esse, non cohærent. Quod si ubique verum est, in hominibus Societatis maximè verum esse, pro certo constare debet.

1 zmum Caput, in quo solida perfecti virtus eminet, est securitas. Volo dicere: Perfectus ille est, solidæ virtutis Religiosus Societatis ille est, cui Religio fidere securè potest, fidere, inquam, securè atq; se concredere, & in manibus ejus tutò deponere Dei gloriam, fidei virtutísque incrementum, defensionem Ecclesiæ (contra malos Christianos, contra hostes Hæreticos, contra rebelles Schismaticos, contra cæcos infideles) famámque, nomen, & disciplinam Societatis, ipsiusmet denique personæ virtutem, perfectionem, salutem. Tales Societas requirit, tales format, tales Ecclesiæ promittit. Nam & Pater cœlestis IESUS Christus tales quærit, *qui adorent eum in spiritu & veritate*, Ioan: 4. 23. *Qui portent nomen ejus coram gentibus & Regibus, qui non erubescant Evangelium*, Act. 9. 15. qui non questum, non delitias, non libertates, non vanitatem, non hominum gratiam ponant pietatem; qui per ignominiam & bonam famam, *in fame & siti, in frigore & nuditate, in vigiliis, in plagis, in periculis, in mortibus multis*, 2. Cor: 11. 26. 27. & frequenter IEsum Crucifixum, nudum, stultum prædicent: redarguant

guant eos, qui ex adverſo ſunt, in doctrinâ ſanâ, in patientia multa, in gaudio ſuperabundanti. Tales Societas perfectos quærit, quibus nihil nocet converſatio, nihil plauſus, nihil gratiæ hominum, nihil ſufficientia rerum, nihil libertas vitæ. Tales quærit, qui bene ſibi præeſſe nôrint, quando nemo illis præeſt; qui extra Collegium poſiti, in ſe ipſis habeant Collegium, habeant Superiorem, habeant Regulam, Tales quærit, qui in turbis ſolitudinem, in diſtractionibus collectionem, in laboribus Orationem atque contemplationem, in effundendo ſe aliis, cum Deo tamen ſuo ſervent unionem & puritatem, & familiaritatem. Tales quærit Societas perfectos, *qui verbo & opere potentes coram Deo & hominibus* Luc. 24. 19. Crucem Chriſti in corpore ſuo jugiter circumferentes, & eam carnis propriæ afflictatione, inediis, vigiliis, laboribus, fatigationibus, in hoſtiam Deo, quotidianis immolationibus, hominibus amabilem, & appetibilem, dulcémque & honorificam efficientes, ſint veri ejus Profeſſores, veri Profeſſi, veri JESU Socii. Tales quærit Societas perfectos, qui ædificationi ſint omnibus, qui non ſint ſcandalo, qui in res externorum, in negotia ſtatûs, in conficiendas cauſas, concilianda Matrimonia, aut mercimonia, in teſtamenta, in Magnatum ſecreta, in domuum & familiarum regimina, in promovendorum merita, non ſciant, non ſinant, non ferant ſe immiſceri.

Hæc ſunt, in quibus perfectorum Societatis atque tertiæ claſſis Religioſorum ſolida virtus emi-

nere debet. Ad hæc aſpirare omnes nos convenit, quotquot perfecti non ſumus, in his ſtare, in his eminere, in his roborari & perfici, hæc ſapere eos convenit, quotquot perfecti ſunt. Quòd ſi cui hæc ardua videntur, is ſciat non impoſſibilia proponi, ſed perfecta; ad quæ conari tenentur, qui ſtudium perfectionis profitentur.

DIES IV.

De occaſionibus ſolidæ virtutis. 1. In vitâ privatâ. 2. In diſpoſitione Superiorum de nobis quoad ſtudia, officia, gradus. 3. In executione officiorum.

CONSIDERATIO X.

De occaſionibus ſolidæ virtutis in vitâ Religioſâ privatâ.

FUſiores fuêre proximæ Conſiderationes, id enim natura earum requirebat, ut fuſiùs proponerentur. Quanquam, ſi quæ res eſt, loquamur, multa ſunt ad conſiderandum propoſita, non autem fuſis ſed adſtrictis verbis explicata. Sequentes tamen Conſiderationes preſſiores forſan erunt, quantùm etiam per materiam earum licebit.

Conſiderandæ ergo ſe offerunt occaſiones virtutis

tutis solidæ in vitâ Religiosâ, quæ quidem aut est omninò privata, & in qua soli sibi Religiosus attendit, & ea tantùm, quæ sunt universaliter omnibus præscripta, facit; aut certè est officiis aliquibus applicata, & in aliorum etiam usum derivata. Utraque vita & est occasio & habet occasiones virtutis, sive solidandæ sive solidæ. Hoc loco expendimus vitam privatam, & quomodo sit solidandæ solidæve virtutis occasio, inspicimus.

Vita ergo privata, & intra domesticos parietes inclusa, nullis publicis officiis, nullis conversationibus externorum, nullis curis subditorum implicita, sicut est omnium pacatissima, ita etiam ad solidas virtutes conquirendas exercendásque aptissima; adeò, ut qui in hac vita positus solidarum virtutum studio se non dederit, neque iis animum imbuerit atque insuefecerit, is nunquam deinceps virtutem ullam solidam sibi comparaturus sit, sed semper teneras, fragiles, imperfectas & magìs in specie, atque externa imagine, quàm in ipsa re & veritate, positas virtutes habiturus. Quod utinam non quotidianis discamus verum esse experimentis! sed videmus omnino, manibúsque palpamus, ex privatâ vitâ prodire Religiosos homines in publicum, non cum eâ morum maturitate, non cum eâ passionum edomatione, non cum eâ sensuum mortificatione, non cum eâ à propriis commodis sive sensualibus, sive non sensualibus aversione, non cum eâ cum Deo conversandi seséque gubernandi scientiâ, cum qua & par erat, & Religio sperabat & ipsi poterant prodire. Accedunt enim ad

officia, ad res gerendas, & converſationes, crudi, non excocti à paſſionibus, impotentes iræ, linguæ, lætitiæ, invidiæ, cupiditatis, æmulationis, gulæ, avidi laudis, otii, commoditatum, favorum: impatientes monitionum, delationum, obſervationum: effuſi ad externa: tædioſi in orando, legendo, ſe examinando, alta ſapientes, nulli non, judicio ſuo, pares, ſive perſonæ, ſive officio; regimini, & regentibus aſperi, atque refractarii, factioſi, humilium operum & officiorum fugitantes, regularum contemptores, fratrum obſervantiorum & diſciplinatorum perſecutores & irriſores, innocentium, incautorum ſubverſores, profectûs ſui ſpiritualis negligentes, ac de eo nunquam ſeriò ſoliciti. Tales, dico, vel prodeunt, vel poſtquam prodierunt paulò alii, tales tamen citò efficiuntur, & ad ſæculi mores ſub veſtitu Religioſo ſe conformant. Atque inde poſtmodum fit, ut quoniam periculoſi ſunt, quoniam in officiis & ipſi pereunt, & aliis etiam publicè nocent, ab officiis avelli, à locis abſtrahi, à converſatione arceri cogantur. In quo paſſu illi non ſe accuſant, ſed delatorum malitiam, ſed Superiorum credulitatem, ſed aliorum invidiam cauſant, neque agnoſcunt errata ſua, neque agnoſcunt pericula ſua, neque agnoſcunt ſcandala, domeſticis vel externis à ſe data, neque agnoſcunt, ad eorum mutationem coactam deſcendere mœrentémque tam Religionem quàm Superiores Religionum, cùm doleant, eis ſe uti non poſſe ad ſui inſtituti munera, quos ad illa ſecurè & ritè obeunda, tanto tempore, tanto ſumptu, tantâ curâ, tot

labo-

laboribus, instruere atque perficere laborârunt. Tota porro hæc malorum series ex illo in primis profluit fonte, quia in privata vita ab istis seriò spiritui, seriò mortificationi, seriò virtutum usui vacatum non est, sed omnia acta perfunctoriè, ad oculum, politicè, vel serviliter. Unde perfectio vel nulla acquisita est, vel radices non misit, sed incalescente occupationum sole nata exaruit, quia non habuit humorem. Sed hæc obiter expensa sint. Vita igitur privata, occasio, & spatium, & tempus aptissimum est, solidandæ virtutis, quâ quidem occasione quisquis gaudebit, & sapiet, is quàm fructuosissimè eâ uti laborabit, juxta illa capita omnia Cons. 7. & 8. primæ & secundæ classis Religiosis superiùs commendata, quibus adjungi hæc poterunt sequentia.

1mum erit Caput, Sectari vitam communem in omnibus, ita ut facias ea, quæ omnibus facienda præscribuntur, facias cum omnibus eo scilicet tempore, & loco, & ordine, ac modo. Surge, cùm surgendum: præpara orationem cùm præparanda est: meditationem fac, quando alii faciunt: Sacrum fac vel audi, quando tibi præscriptum est: nulla in re eximius esto. omnes æqualiter ama & honora: omnibus æquè promptè inservi, nisi fortè cum humilioribus libentiùs velis conversari.

2dum Caput. Vitam secteris communem, sed tamen ne secteris communem, hoc est: omnia quæ aliis facienda imperantur, & tu fac, non eo tamen modo, quo alii fortè communiter & de plebe Religiosi solent, sed longè alio, perfectiori, accura-

tiori, fœcundiori modo fac. Age ordinaria, sed non modo ordinario, verùm sublimiori, & ad Dei gustum accommodatiori. Nolo te exoticum & singularem esse: externas apparentias vita; intus operare, intus perfectio tua sit, *quia omnis gloria filiæ Regis ab intus*. Psal. 44. 14. Id verò cùm in omni opere serva, tum præcipuè in his, quæ interioris sunt hominis bona & opera, ùt est, Oratio, Meditatio, Sacramentorum usus, in his apparandis Sanctissimos quosque æmulari, & transcendere adlabora.

3. Ama nesciri, ama latere, ama ignorari & pro nihilo reputari, præcipuè ab extraneis. Nidus est iste humilitatis, fons pacis.

4. Omnis actionis exercendæ à te, habe modum, & certas tuas in quovis opere observationes pias, sanctas, internas, solidas: quæ te faciant tibi notum, quæ te faciant cautiorem, puriorem, ferventiorem, Deo propiorem, ùt sunt: reflexio practica, prævisio occasionum virtutis vel peccati, intentionis renovatio &c. Oblatio & sacrificatio tuî, imitatio Christi, devotionis ignitæ fervor, voluntatis divinæ gustus, atque dignitatis æstimatio, &c. dolor de defectu, propositum, &c.

5. Nullius vitam, nullius eventum, nihil novum, nihil factum, vel futurum curiosè cognoscere velis: tecum habita, quid ad te? sufficiant tibi ad occupationem & notitiam, Deus, tu ipse, officium tuum, cætera aliis relinque. Nemo tibi sit malus, præter te ipsum; neminem labora judicare præter te ipsum, quia nemo læditur nisi à se ipso.

Nulli

Nulli ergo invigila, nulli diffide, nulli irascere, neminem puni & accusa & damna, nisi te ipsum.

6. Cubiculum ama ùt cœlum, extra illud esse sine obedientia & caritate ac necessitate cave, festina ad illud, tanquam piscis ad aquam.

7. Legere, loqui, audire, scribere spiritualia cùm potes, ambitiosè etiam satage. multa disces à calamo tuo, quæ nunquam credideras in eo à Dei gratia esse deposita. Multa disces & ab aliis.

8. Motus animi tui, quos inspirationes, lumina, dictamina, actualis gratiæ auxilia vocamus, observa lynceis oculis, & quocunque in loco advenerint tibi, rape, rumina, scribe: venæ enim ista susurri Divini, ineffabilibus plenæ divitiis, deliciis, præsidiis. Expertus credes.

9. Nullum te magìs delectet vitæ genus atque exercitii, quàm quod te ad tuî notitiam, & Dei scientiam deducit: cujusmodi est meditatio reflexa, atque reflexio ipsa: Examen conscientiæ, tam super admissa mala, quàm super omissa bona, crebrum in die, Collectio diurna, hebdomadaria, menstrua &c. vitiorum impugnatio, aut virtutum exercitatio certarum, singulis diebus, certo numero. Nulla anima est nitidior quàm illa, quæ in manibus est semper. Cor extra manus positum, contrahit rubiginem, sicut extra incudem vel usum, ferrum.

10. Ama vitam privatam, & ejus tempus bene colloca, ea interim conquirendo, quæ proderunt tibi cùm eductus fueris in vitam publicam.

11. Hu-

11. Humiliationes tuî atque mortificationes præcipuè confusivas & honoris conculcativas quære, subi, ama, puniri patere, moneri quære, Carnem crebris sed brevibus, & quas multos in annos continuare possis mortificationibus, semper preme. Plùs prosunt quotidianæ breviores, quàm raræ longiores afflictationes. Gulositatis esto inimicus, hæc enim subministrat pabula igni gehennali.

12. Vitæ tuæ ratio constet Magistris tuis Ducibúsque spiritûs, in quorum manibus esse, ùt puer innocens & simplex, cura: illi tecum habeant eam libertatem quàm tu ipse. Quòd si contingat te carere tali Patre, eo utere, quem poteris habere. porro præ omnibus tu tibi esto custos & monitor: & cùm per omnia tibi attendere curaveris, adverte, ne ipsam curam & diligentiam negligas. Totum te cura, totúmque spiritum, sed in his etiam ipsammet spiritûs curam cura. Fervori tuo ferventer attende: examen tuum examina: reflecte te super reflexionem tûam, & de tua meditatione meditare, nihil sinas à te fieri ex usu: nunquam supponas te satìs versatum, assuetum huic vel illi exercitio: assuetudini ipsi attende, & ne illi assuescas cave. Consuetudo tua, semper tibi sit nova, & tu illi.

Hæc in privata vita, & in omnibus ejus actionibus (si quis sit Tyro, sive literarum studiosus, sive juventutis Magister, sive temporalis Coadjutor, sive quicunque extra communiora positus) occupationibúsque observâsse; proderit ad virtutis soliditatem, sive parandam, sive tuendam.

CON-

CONSIDERATIO XI.

De occasionibus solidæ virtutis in dispositione Superiorum de nobis exspectanda & acceptanda.

Vita publica, quâ ad aliis inserviendum destinamur, duplicem habere assolet difficultatem. Una est Applicatio ad illam, vel applicationis exspectatio, atque acceptatio. Altera est, ejusdem executio. Hìc de priore consideramus.

In Societate vita privata non ideo indulgetur, ut in ea hæreatur, sed ut in ea ad publicam Religiosus præparetur, ubi præparatus fuerit in privatâ, & publicam exspectet. Publicam vitam voco officia atque ministeria, quæ aut sunt domestica, ùt esse Superiorem, Ministrum, spiritûs Præfectum; aut sunt ad externos, ùt esse Confessarium, Concionatorem, Professorem, Missionibus deputatum, Oeconomicæ rei curandæ addictum, Janitorem, Sacristam, Emptorem &c. Ad hæc spiritualia officia applicatio post privatam vitam exspectanda est: nec verò ad officia ipsa solùm, sed etiam ad tempus, quando & quamdiu: ad locum, ubi: ad personas, apud quas & cum quibus officia obeunda erunt.

Hæc exspectatio difficultatem habet, & audeo dicere, lima est atque Lydius lapis solidæ virtutis. Quem hæc exspectatio non pertentat, mihi multùm

ſolidæ virtutis ille videtur præclarum ſignum habere. Joſephum Anchietam noſtrum legimus, de ſe aliquando pronunciâſſe, nunquam ſibi in mentem veniſſe, poſſe ſe fieri Sacerdotem, item nunquam ſibi in mente obverſatum, poſſe ſe fieri profeſſum. Et iſta exſpectavit, curavit, laboravit fieri, cui neque poſſe ſe fieri in mentem unquam venit? O! qualem in anima illa pacem habitâſſe credam, quàm uni Deo, uni ejus voluntati & gloriæ curandæ intentam, cui de ſe talia cogitandi nunquam in mentem venit! Et quid eſt ſibi unire, animam ſuam perdere, oblviſci ſuî, totum ſe in Deum transfudiſſe ac immerſiſſe, totum ſuum cogitatum in Deum jactâſſe, ſi hoc non eſt? Eſt igitur hæc de ſua diſpoſitione incuria, virtus ſolida, diſpoſitionis autem exſpectatio, virtutis ſolidæ exploratio. Quid in hac re ſentiam Religioſo faciendum, hiſce capitibus exponam.

1. Deſidero, ut Religioſo nunquam in mentem veniat hæc quæſtio. Quid de me fiet? Venit aliquando in mentem B. Aloyſio iſtiuſmodi cogitatio, quam ita expellere laboravit, ac ſi capitaliſſimi ſceleris periculum ſeſe objeciſſet.

2. Si quando venit iſta cogitatio in mentem, illico explodat illam dicens: Quid ad me? *Dominus regit me, Dominus providebit, Domino eſt cura de nobis.* & uno verbo, caput illud Evangelii, in quo Dominus contra ſolicitudinem accuratè diſputat, opto medullitus à Religioſo, & diſci, & verè penetrari. Ac profectò, ſi quæ cogitatio Religioſo, iſta ſanè eſt in injuriam Dei, ejúſque volun-

tatis

tatis, providentiæ, ac fidelitatis. Commisit se Religiosus Deo regendum per Superiores, ut quid ergo de se cogitat? An non fidit Deo? an putat malè de illo dispositurum Deum? an non salubriter? an non ad exigentiam ejus? Hæc est iniquitas infidelitatis pessimæ, hæc cogitatio sacrilegæ mentis & de Deo in bonitate non sentientis. Si credis Religiose, Deum esse sapientiorem quàm tu, crede etiam, quòd meliùs nôrit: quid tibi evenire, quid agere, ubi manere expediat, quàm nôsti tu. Si credis, te magìs à Deo diligi quàm à te, crede etiam, quòd Deus meliùs tibi velit, melioráque & in melioribus circumstantiis tibi ordinaturus sit, quàm vel cogitare, vel optare possis tu. Si credis, Deum esse meliorem quàm tu, crede, quòd meliora etiam pro te provisurus, atque inventurus sit quàm tu. Si credis Deum esse potentiorem quàm tu, crede etiam Deum efficaciùs tibi salubria, nemine impedire valente, provisurum quàm te. Crede ergo Deo, projice te in eum, projice securus: non se subtrahet ille, non deerit tibi, non fallet fidem.

3. Desidero, ut Religiosus, quantùm ad præsens propositum attinet, illam Regulam ex Comm. 21. & intelligat, & in memoria, & multò magìs in praxi teneat: (Quæ à Superioribus circa administrationem agenda sunt, nemo curiosè ab aliis exquirat, aut conjecturam faciendo, de iis sermonem misceat, sed unusquisque sibi ac muneri suo attendens, quidquid de se atque aliis constituendum erit, tanquam de manu Dei expectet.) Quæ istâ Regulâ præcipiuntur, hæc sunt. 1. De Regimine

ſuperiorum & de diſpoſitionibus futuris non curioſè inquirendum. 2. Conjecturæ non faciendæ. 3. Cum aliis de hac materia nihil loquendum. 4. Ut id præſtari à ſingulis commodè poſſit, muneri ſuo & ſibimet à quoque attendendum. 5. A Deo omnia ordinanda ſciat, ſperet, exſpectet, acceptet. Hæc ſi ſervarentur, ſatìs eſſent. Et ubi ſunt illæ noſtræ divinationes? prævolationes, minorum Prophetarum revelationes ac prædicationes? aſſertiones? in vulgus ſparſiones? raro abſque injuria aliorum, aut moleſtia & perturbatione? Hæc ſanè etiam à ſenibus fiunt: ſed non ex ſpiritu Regularum fiunt.

4. Si abſque cogitatione & ſolicitudine eſſe non poſſumus, ſaltem ea ſolicitudo in poteſtate noſtra ſit, non faciat nos inquietos. Nihil determinemus vel nolle vel velle, vel petere, vel refugere, ſed in medio conſiſtamus, & ſi quid occurrit aut optabile aut formidabile, Dei totum providentiæ relinquamus, deſiderium ad indifferentiam conformemus, & metu futurorum, fortè non futurorum, nos cruciari ac turbari non ſinamus.

5. Si petendum eſt aliquid à Superiore, ſic petendum, ſícque proponendum, ut Regula ſumm. 46. præcipit, & ùt in exemplo de obedientia præſcribitur. Verba Regulæ, duo ſervari in hac parte volunt. Primum, ut antequam ad Superiorem aliquid referamus, orationem præmittamus ad Deum, quâ factâ ſi proponendam nihilominus rem ſenſerimus, tum demum proponamus. Secundum, ut re ſuperiori expoſitâ, ejus omnem curam eidem relin-

relinquamus, & quidquid statuerit, id optimum dicamus, nec ultra tam per nos, quàm per ullum alium urgeamus, sed persuadeamus nobis, id Deum velle, ídque nobis & obsequio Dei expedire, quod statuit Superior. Porro in Epistola de obedientia, jubemur animum in quodam æquilibrio collocare, ut neutram in partem postulati plùs, minúsve propendeamus, sed æquo animo paríque quiete acceptemus, sive annuat, sive renuat Superior.

6. Si quid contra spem aut propensionem aut honorem reputationémque nostram à Superiore de nobis sit ordinatum, si quid violentius, inexspectatúmve tam à nobis, quàm ab aliis, de nobis statuatur: tum verò caveamus perturbationem animi, tum ad orationis subsidia recurramus, tum verò ponamus nos in manus Dei, & dicamus: *Non mea, sed tua voluntas fiat Domine*, Luc. 22. 42.: tum fugiamus murmurationes, suspiciones, compassiones, animum non mulcentes, sed exulcerantes, tum gaudeamus, quòd certi simus nos à Deo regi, & quòd non ex humanis seu nostris, sed divinis rationibus simus deinceps victuri, quòd ad actiones nostras sequentes nihil de nostra electione, propriáve simus voluntate allaturi. Quâ consolatione, nescio, an aliquid sit in vita Religiosa homini Religioso optabilius, atque etiam solidius, hoc est enim summam Votorum Religiosi statûs assequi, nempe desciscere à consortio & fermento suæ propriæ voluntatis.

7. Omnis difficultatis atque molestiæ, quæ se se offerre solet in exspectatione & acceptatione dispo-

ſitionis de Religioſo, ipſi homini Religioſo, nullus eſt fons alius præter amorem ſuî privatum: ex hoc enim timor, ex hoc ſpes, ex hoc adhæſio, ex hoc fuga, ex hoc ſuſpicio, murmuratio, repugnantia voluntatis, reſpectus humani, excogitatio rationum excuſantium, refugium ad alios (etiam externos) diffidentia, aliáque plurima mala eveniunt, in animúmque Religioſi prorepunt, ac illum pace ſpoliant, turbatum reddunt, ſibi gravem, moleſtum ſuperioribus, obedientiæ refractarium, in officio ſegnem. Monet nos Apoſtolus: *Nolite locum dare Diabolo*, Epheſ. 4. 27. quod explanans Auguſtinus, ait: *duas eſſe Diaboli portas, timorem & amorem.* Nihil timeat homo ſibi evenire, nihil amet: clauſit locum & portam Diabolo.

8. Perfectionis amator Religioſus, in hac materia, aut nunquam cogitabit, quid ſit de ſe ſtatuendum ab obedientia: aut ſi cogitabit, proponet omnia ſibi ob oculos, quæ ſperare vel formidare poſſet, & ea quidem quæ illum deprimere, quæ viliorem in ſuis & aliorum oculis facere poſſent, pro ſe eliget, à Deo petet, ad illa ſe ſe, tanquam certò eventura eſſent, cum gaudio, cum animi profectu & quiete, de manu obedientiæ divinæque providentiæ præparabit, & confirmabit. Sic confirmatam mentem præviſa jacula minùs turbabunt, quia minùs ferient.

9. Porrò pro præſenti negotio, nihil conſultius, nihílque ad virtutem ſolidandam præſentius, planâ & plenâ ſuî in Dei voluntatem reſignatione, quo genere exercitii in ſpirituali vita, ſicut nihil eſt ſub-

sublimius, ita nihil utilius, nihil ad omnes animi perturbationes evertendas efficacius, nihil ad æternam cordi pacem parandam robustius, nihil à Religioso animo concipiendum ardentiùs, quærendum diligentiùs, augendum avariùs, tuendum obstinatiùs, mendicandum à Deo humiliùs. Hanc qui assecutus est, omnia habet, nec quidquam, quod in vita spiritûs ulteriùs quærat, reperiet. Perfecta enim resignatio, omnis virtus est, & ea quidem perfecta. Hujus dignitatem, si quis ignorat, (ignorat autem, quia expertus non est) frustra laudo; si quis novit, etiam frustra laudo, nam nec ille capit quod dicitur, & iste meliorem laudatorem, experientiam scilicet suam habet.

Quod autem dixi hactenus in hac Consideratione de difficultate in expectatione & exceptione dispositionis ad officia atque ministeria: Id ipsum dico de exceptione dispositionis ad studia harum vel illarum scientiarum, illo vel illo loco, tanto vel tanto tempore. Item id ipsum dico, de exceptione dispositionis seu promotionis ad Sacros Ordines, post tot vel tot, studiorum talium vel talium annos. Item id ipsum dico de exceptione dispositionis, seu promotionis ad gradus Religiosos trium & quatuor votorum, solennis vel non solennis professionis, ùt mos est. In qua exceptione talium dispositionum, quæ, quantæ, quales soleant aliquando esse in aliquorum animis difficultates, luctæ, pugnæ, mœrores, nihil attinet dicere, quia forsan nemini non contingit oculis videre. In his passibus nihil suaserim aliud, præter jam dicta. Certè cùm

ad Religionem perreximus, nulla ſtudia, nullos ordines, gradus nullos, ob oculos nobis proponebamus. Unicum propoſitum fuit, Deo ſervire, animam ſalvare, ex mundi laqueis ac periculis evolare, pro Deo & Chriſto pati, humiliari, obedire, laborare, ad omnem Superiorum voluntatem paratum eſſe. Ut quid ergo linguam hanc tunc obliviſcimur, quando illam vel maximè callere debuimus? Si tot vel tot annorum doctrinæ causâ Religionem iniiſti, ſacrilegus es, & mendax & impoſtor; inſuper ſtultiſſimus es, qui tam arduâ viâ (qualis eſt Religioſa vita) ſcientias quæſiturus veniſti, quas longè planiore, ſæcularis vitæ tramite obtinere potuiſti. Quòd ſi meditans Religionem, curam ſtudiorum tuorum & ſcientiæ, annorúmque in ea ponendorum reliquiſti, cur ergo nunc illam tibi reſumpſiſti? cur tibi arrogas, quod pridem, quod Deo providentiæque ejus permiſiſti? Non vides, te meliore ſpiritu præditum fuiſſe nondum tyronem, quàm nunc veteranum? non pudet defeciſſe te, in quo profeciſſe debueras? Ad hæc, ſciſne tu expedire tibi tot annorum & iſta ſtudia? Si nôſti: aut ſtultus, aut injurius eſt Deus in te, qui tibi proficua ad ſalutem & profectum invidet: tu verò & juſtior, & ſapientior es Deo. Si non nôſti: ut quid ergo ignota appetis, & forſitan nocitura? Cur ea quæ optimus animarum curator Deus tibi ſubtrahit, pabula, aſſerens periculo etiam non vacare, tu importunus puer, ùt æger, expoſcere, ùt lacrymans exigere non deſines? Ad Sacerdotii tempora quod attinet; unum tantùm quæro ex te, qui

qui turbaris: jámne ita purus & Sanctus es, sacerdotióque idoneus, ùt S. Franciscus Assisius fuit, quando ad Ordines sanctos recipiendos pergens, ab Angelo repulsus fuit? si ita purus es, nondum sacerdotio aptus es; si purior: audeo tibi objicere illud Iudaicum: *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* Ioan, 8. 2. nescio autem, an tu mihi verbis Christi responsurus sis. Ad gradum in Religione quid dicam? Non aliud, quàm illud: Antiquæ Societatis mos fuit, petere, & Tyronibus petendum jugiter inculcare: Domine, da mihi humilem seu infimum in Societate gradum. Quod ipsum si nos eodem illo primævo & sincero spiritu peteremus, & postulare consuesceremus, audeo dicere, nec ipsi in oblatione humilis gradûs quidquam timoris ac mœroris sentiremus, nec alios sentientes notaremus. *Vtinam Deus convertat corda Patrum in filios*, illorum inquam Patrum, quibus nunquam in mentem venit, posse se professos 4. Votorum fieri, quibus supra suum meritum, & dignitatem videbatur, ad gradum formatorum spiritualium evehi. Cujusmodi etiam nunc non existimo deesse, opto tamen omnes omnino tales esse.

Hæc quæ dicta sunt, sic considerentur, ut ad intimos animi recessus demittantur, & cum solitis animi sensibus consuetudinibúsque conferantur, ac tandem ad normam eorum animus, si fortè dissimilis est, componatur & solidetur, ut in exspectatione dispositionis superiorum de se, non solicitus, non turbatus, sed securus, sed quietus permanere,

& omnia tanquam de ſuaviſſimæ prudentiæ Dei manu exſpectare, acceptaréque conſueſcat.

CONSIDERATIO XII.

De occaſionibus ſolidæ virtutis in executione officiorum.

SOlida Virtus non ſolùm Religioſum armare debet, ad Religiosè exſpectandam acceptandámque diſpoſitionem de ſe Superiorum, voluntatíſque divinæ: etiam ad executionem officiorum impoſitorum eos comitari & adjuvare debet. Sunt enim nonnulli, qui imperata ſibi officia acceptant, illi quidem utcunque Religioſi, ſed eadem exequuntur haud equidem religiosè, vel quia exequendi illa uſum non habent, vel quia ad ea exequenda, non propriæ, ſed tantùm alienæ voluntatis guſtum adduxerunt, vel quia moleſtum, invidioſum, humile, cenſuris obnoxium officium arbitrantur, vel quia puſillo animo ſunt, & reſpectibus humanis laborant, vel quia non diù ſe in officio manſuros ſperant, vel quia commodis propriis, quibus inhiant aut inſueverunt, in officio præſenti carere coguntur, vel quia per hoc officium obſtrui ad alia ſibi gratiora & deſtinata aditum putant, vel quia ſe tantùm vexari ſeu probari opinantur, non autem ſeriò applicari, vel quia in eo de erroribus admonentur, quæ admonitio cùm moleſta ſit, cupiunt carere officio potiùs quàm

moneri,

moneri, vel quia (ut reliqua omittam) hanc ſibi extricandi ſe ab inviſo officio viam deligunt, ſi aliud conſultò negligenter, non ad mentem obedientiæ, non ad menſuram ſuæ ſufficientiæ obtigerit, & ex hoc ad aliud obeundum inepti, atque adeo etiam amovendi judicati fuerint.

In hoc rerum atque occaſionum genere, quomodo Religioſa ſolida virtus, vel exerceri vel poſſideri poſſit, ſequentibus ex capitibus cognoſci ex parte poterit.

Primum Caput. Non eſt ſubditi Religioſi judicare, ſicut de aſſignatione ad officium, ita & de viribus exequendo officio paribus. Obedientia enim non aliter judicare poteſt, quàm ſcriptum eſt: *Sicut audio, ita judico.* Ioan. 5. 30. de cætero judicare imperantium eſt, facere obedientium. Quàm ſæpè experimur, nos ſuperioribus opponere impotentiam virium, qui potiùs ſub iſto prætextu opponimus refragationem voluntatis! dicimus, repetimus: non poſſum, non poſſum, cùm tamen illud nihil aliud ſonet, niſi, nolo, nolo. *Mentitur iniquitas ſibi* Pſ: 26. 12. & quod non vult, hoc ſe non poſſe facit, enervátque vim obedientiæ, & fidem in voto Deo obligatam frangit. Obedientia non attendit, an poſſit, ſed attendit, ut poſſit; conatur etiam ea, quæ non poteſt, ùt ſuper aquas ire, leones capere, ſaxa movere. Dicentium ergo: non poſſum, excuſatio nulla eſt nec audienda, ſed urgendi ſunt, ut experiantur, ut faciant quod poſſunt, & eum ſequantur, qui ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Conſtat experientiâ quotidianâ

dianâ in Religionibus, virtute obedientiæ, ab obedientibus ea perfici cum dignitate, ad quæ facienda videbantur humano judicio destituti possibilitate. Sed hæc (ut sic loquar) non mirabilia miracula (eò quia quotidiana) delicata immortificatæ suæ voluntatis mancipia non vident, quia ad nihil, nisi ad id, quod sibi libet, oculos conversos habent.

In Religione, vitæ nostræ & actionum pretium ab obedientia est. Unde nullum in Religione officium humile est, nisi cui non obedientia, sed voluntas propria adjuncta est. *Melior est obedientia quàm victimæ*, 1. Reg: 15. 22. ait scriptura: & ego victimas non hircorum aut vitulorum intelligo tantùm, sed etiam victimas spirituales comprehendo. Nec mirabitur me quisquam, opinor, qui apud S. Thomam legerit & crediderit, ipsius etiam IESU Christi sacrificium cruentum obedientiâ commendari debuisse, ut gratius fieret æterno Patri. Quis hìc, quæso, sensus nobis, obedientiæ contemptoribus re, laudatoribus ore, voto professoribus? Si quid ergo tibi ô Religiose obedientia præcipit, humile jam, & famæ tuæ scilicet noxium, derogatoriúmque ne dixeris, satis illud tibi obedientia speciosum effecit. & si tibi superbia tua dixerit: ne facias quia vile est, eris apud homines ex hoc contemptibilis. responde illi; Mentiris: non est vile, quod est gratum obedientiæ; quis me contemnet, si obedientem sciet?

3. Invidiosum officium, redde, exequendi modo, ordine, dexteritate, suavitate, diligentiâ

usitatâ,

usitatâ, & cum praxi, non invidiosum. quòd si id facis, & nihil tamen proficis, junge obedientiæ patientiam, junge constantiam, junge in obloquentes caritatem & beneficentiam. Vincit sapientia malitiam, vincit caritas invidiam. Deum in officio quære. Deum cura, Regulas officii tene, pro disciplina zela, non errantes sed errores persequere, linguis altior sis, respectibus humanis nihil da. De invidentibus, de detrahentibus, de molestantibus, de obsistentibus tibi in officio nemini conqueraris, nisi obedias ipsi; ídque coactus & modestus, excusans potiùs, non incusans; neque officium ideo deprecans, sed ex spinis rosas colligens, & mala pro bonis retribui tibi gaudens.

4. Officium vel ad horam commissum, vel post horam deponendum, ita seriò & exactè gere, ut, si longissimè gesturus sis. Etiam in ultima hora obediendum, immò in obedientia perseverandum est. Etiam in ultimo tempore ac brevissimo vult te obedientia obedientem esse; non est autem plenè obediens, qui in opere obedientiæ vèl ad momentum est negligens. Immò verò fine corona opus, & superioris temporis errata aut neglecta finali diligentia compensa.

5, In officio non sunt quærenda propria, sed communia. Officium enim cummune est, & aliorum causâ tibi impositum est, non tuâ. Ex magistratu oportet non ditiorem sed meliorem abire. Ab officio non commoda, sed molestiæ sperandæ ac metuendæ sunt. quippe labor comes officii est, cujus fructus is solùm ad te pervenire debet, quòd

alii

alii tui laboris fructum capiant, tu verò deteriùs omnibus vivas, ut dicere possis: aliis inserviendo consumor.

6. Qui obit officium, non faciat sponsionem, se nunquam in officii executione erraturum, nulli molestum futurum, nullius invidiam incursurum. Nolit errare, nolit molestus esse, nolit offendere: indubitatè tamen certus sit, se nihil horum evitaturum; proinde moneri & corrigi velit, nec velit esse homo, qui peccare possit, corrigere autem se & corrigi non possit.

7. Sicut de eligendo officio, ita neque de deponendo eodem, vult te Religiosa Virtus solicitum; tantùm tibi solicitudinem exequendi illud obeundique relictam scito; cura deponendi ejusdem, est, cujus & præponendi fuit. Non ergo ita gere officium, ut deponi merearis, ut deponi cures, malitiâ functionis. Ex duobus malis, malo officialem, qui repugnanter quid acceptet, sed tamen obeat fideliter officium, quàm illum, qui promptè in faciem acceptat, sed re ipsâ perfunctoriè, & consultò neglectim, ut amoveatur ab eo, illud exequitur. Nam & ille, ore Dominico, Patris voluntatem fecisse legitur; qui imperanti laborem Patri dixit: *non ibo, & tamen ivit:* & ille rebellis judicatus est, qui cùm dixisset eidem Patri, *ibo, neque tamen ivit.* Denique quid hoc plus improbem? cùm legam: *Maledictus qui fecit opus Dei fraudulenter, an negligenter?* Matth. 20. 28. nihil refert, quia utrumque facit, quisquis facit inobedienter. Felix anima, quæ in Cruce cum Christo consummat obedientiam,

dientiam, etiam usque ad mortem si opus est, nec deponi urget de Cruce, sed alieno deponitur arbitrio. Cuilibet dictum credamus, quod uni alicui legimus dictum: *Esto ibi, usque dum dicam tibi.* Matth. 2. 13. Nihil æquè oderit Religiosus, quàm obediendo non obedire, nam & fraudat Deum, & frangit fidem, & se se decipit, & officium corrumpit, & multorum communitati damnosus est, & Societatem fraudat, & Superiores contristat, & semetipsum in peccato inobedientiæ [hoc est Idololatriæ] confirmat atque obstinat. Crimen est, nec leve sanè, & periculosum non parùm in Religioso perfecto, cogitare tam de imponendo, quàm de deponendo officio quocunque. Nam perfecta virtus resignata est. Resignata verò, suî negligens, in sinu providentiæ Dei dormit, unum illud curans, ut ipsa quidem nihil curet, præterquam ut in sinu providentiæ & in manu voluntatis Dei, æquè in dextera ac in sinistra, *dormiat, & in id ipsum conquiescat.* Psal. 4. 9.

8. Tota aut præcipua administrationis officii (sicut & cujuslibet virtutis) laus, in actione, & in efficacia consistit. Ideo officium committitur, ut fiat: fiat igitur, & fiat fortiter juxtà ac suaviter. Scire, quæ & quomodo agenda sint, scire etiam bene & bona imperare, ac ordinare, multorum, nec omnino difficile est; at, quæ scias, efficere; quæ imperes, ut re ipsa fiant, curare posse, idque tam efficaciter quàm suaviter præstare, hoc singularis reor prudentiæ, & solidæ virtutis.

Hoc est solidæ virtutis, in obeundis omnis generis

generis, ab obedientia impositis officiis ingenium; hæc etiam ratio, virtutis in officiis solidandæ. Inspice te ipsum, qui hæc inspicis; & vide, quàm istis proximus vel remotus sis. Illud omnibus prædictis addere non negligens, ut aliis serviendo non consumaris; ut aliis prædicando, ne ipse reprobus efficiaris; aliorum salutem & perfectionem promovendo, ipse tua perfectione & salute ne priveris. In parte non postrema officii tui, pone etiam curam spiritûs, & animi tui. Quis enim suis (præsertim tantis ac talibus) stipendiis militavit unquam? *Aut quam commutationem dabit homo pro animâ suâ?* Matth: 16. 26. Carnis tuæ & famæ tuæ commoda, propter aliorum corpora, famam, animas, perdideris licet: anima tua in conspectu tuo sit semper, ut non tantùm detrimenti patiatur nihil, verùm etiam ut incrementum sumat spiritûs sui, virtutis suæ, perfectionis suæ.

DIES

DIES V.

De instrumentis ac mediis solidæ atque solidandæ virtutis. 1. Amore usúque Orationis. 2. Amore, curâ, usu gratiæ Dei. 3. Amore & imitatione Christi ac Beatissimæ Virginis.

CONSIDERATIO XIII.

Virtus solidatur amore, usu, frequentiâ Orationis.

IAm occasiones virtutis solidæ consideravimus: sequitur, ut ejusdem instrumenta & media, quibus paretur, quibúsve solidetur, & denique quibus utatur ipsa, consideremus.

Atque primo loco ponimus considerandam orationem, meditationem, contemplationem: sive illa sit vocalis, sive mentalis; sive illa sit longior sive brevior; sive illa sit cum affectu ex discursibus præviis nato, sive sit parca in discursibus, sed more comtemplativorum, delectabili & gustativo intuitu, Deo & Dei bonis fruatur, purificetur, similior Deo evadat. Hanc orationem dicimus esse instrumentum singulare, aptissimúmque medium Virtutis solidæ, & etiam solidandæ: sed ita, si ametur famelicè, si ejus labor, (qui non levis est) vincatur & devoretur strenuè, si denique frequentetur, quoad hæc vita patitur, assiduè.

Igitur qui virtutem solidam habet, aut habere vult, Orationem amet & frequentet. In usu enim crebro Orationis sic solidatur virtus, ut sub igne, incude, & malleo ferrum. Nesciunt vulgò homines pretium & efficaciam & necessitatem orationis: sed &, si qui illud nôrunt, speculativè id magis quàm practicè: cognitione, non efficacitate. Quòd si etiam reperiantur aliquantùm multi, qui usum orationis ament, & re ipsâ habeant; sunt tamen paucissimi, qui ejus laborem devorent, ac in eo perseverent.

Quid de Oratione sentiendum sit amatoribus solidæ virtutis, explico his Capitibus.

1. est: Oratio debet obstinatè amari & exerceri, nec ullo modo aut negligi, aut negligenter confici, aut de tempore in tempus transferri, aut ejus tempora decurtari, aut ad eam animo non famelico, sed veluti ad rem usitatam, & non planè summè necessariam accedi. Tam obstinatè debet amari oratio, quàm obstinatè illam exigit Deus & præcipit Christus, quàm obstinatè illâ indiget inexhausta nostræ ad omnia insufficientiæ abyssus. Hæc qui considerabit, orationis usum etiam laboriosissimum non refugiet, immo verò hac inter alias ad orandum præparatione utetur, ut oraturus, famem desideriúmque in se orandi exsuscitet.

2. est: Quandocunque potes, ora: potes diu? diu ora: potes breviter? breviter ora: potes dormiendo? etiam dormiendo ora: (sed non orando dormi) omni tempore aut benefac aut ora, sic implebis illud:

illud: *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Lucæ 18. 1.

3. Plùs sunt amandæ (quia plùs proficuæ) Orationes quæ Illuminant, quæ ex reflexione super præsentem quotidianámque vitam fiunt; quæ intellectu convicto, etiam voluntatem séque compellunt, & proponere agenda vel vitanda cogunt: quàm illæ, quæ in affectibus ùt plurimum sunt positæ; & luminis, veritatísque convincentis nihil in intellectu relinquunt, quo deinceps anima regatur. Quare qui per orationem virtutem solidam quærit, ita oret, ut in oratione suâ se sibi quotidie ob oculos ponat; defectus suos, profectus suos inspiciat; occasiones, loca, tempora, personas, causas lapsuum suorum intueatur; atque individua & circumstantiis circumscripta proposita, tam vitandorum defectuum, quàm exercendarum virtutum faciat; facta, Deo, & gratiæ Dei auxilianti, Sanctorúmque suffragiis commendet, & efficaciam petat. Quanta hinc ad animam bona sequantur, expertus sciet optimè. Ea propter quodcunque vitium ex tua cupies anima evulsum, illud modo prædicto oratione quotidiana impugna; quamcunque virtutem voles in corde tuo plantatam, & citò adultam, illam hoc ipso modo inter orandum cordi insere, donec radices mittat, donec ramos & folia & fructus ferat, hoc est, donec tibi familiaris, facilis & suavis evadat.

4. Oratione plerique duritiem capitis, & intractabilitatem voluntatis, morúmque contrahunt. Quo ex fundamento S. Patriarcha noster dicere so-

litus fertur: ex 100. habentibus ſpiritum orationis, 99. eſſe vel ſolere eſſe illuſos. Videas certè non raró iſtos orationiſtas, quidquid inter orandum ſenſerint vehementiùs à ſe apprehendi, id jam inſtinctum Spiritûs Sancti, jam Dei manifeſtatam ſibi voluntatem credere, nec ab eâ perſuaſione etiam authoritate obedientiæ ſe avocari ſinere. Inde obſtinantur, indurantur, illuduntur: prædictiones & prophetias tentant & referunt; ac quamvis falſi fuiſſe convincantur, id aut non credunt, aut excuſant, nihilominúſque pergunt. Hoc tamen non orationis vitium eſt, ſed orantium, qui ſine humilitate orant & non orant ùt mendici apud Deum, ſed ùt amici & ſecretarii cum Deo loquuntur; non indigentiæ ac humilitatis affectu ad orationem procedunt, ſed ex dignatione quadam, (quam illi caritatem putant) & præſumptione occulta, & quodam magnificandi ſui, per orationis uſum & crebritatem longitudinémque, ſtudio. unde etiam mirantur ſe ob orationem; & ſpiritum orationis magnificant in ſe, ſéque per illum: quo fit, ut inflentur oratione; & ab oratione ſurgant ſuperbi, jactabundi; de voluntate Dei, etiam quoad contingenter futura, certi; atque ita duri & obfirmati, ut verè à S. Patre dicti ſint illuſi, & verè ad ſeſe detorquere valeant illud Pſalmi: *Ego dixi in exceſſu meo: omnis homo mendax*. Pſal: 115. 11. Hi enim in exceſſu ſuo verè mendaces ſunt, & exceſſu ſuo in mendacia præcipitantur. Quod malum non evenit ab oratione, humilibus & verâ caritate in Deum præditis, verè indigentiarum ſuarum infinitarúm-

que

que miseriarum gnaris, & ex ea causa tam pro se, quàm pro aliis Deum deprecantibus. Oratio enim est filia notitiæ suî & notitiæ Dei, abjectionis suî & æstimationis Dei, diffidentiæ suî, & fiduciæ in Deum.

5. Orationum ejaculatoriarum, seu ignitarum & vehementium in Deum aspirationum brevissimo tempore peragendarum, usus nunquam satìs laudabitur à spiritualibus viris; utinam ita nunquam negligatur! Experientia docet, sæpe nos unâ alteráve ejaculatoriâ, in Deum efficaciùs rapi, & penitiùs Deum penetrare ab eóque penetrari, quàm totius horæ Oratione. Hìc porro unum vellem expositum & consideratum, duplices esse ejaculatorias. Quædam sunt meri tantùm, affectûs nostri in Deum, indices; vel si quid aliud in sui materia continent, tamen qui eas ejaculatur, affectui tantùm soli suo, non autem etiam sensui, materiæ intellectui indulget: quod genus ejaculationum summè laudo & commendo; sed illud tamen aliud genus ampliùs probo (quia utilius existimo, saltem incipientibus & proficientibus) quo non tantùm affectus ejaculamur nudos, solúmque affectum ignescere facimus, sed etiam quo proposita nostræ voluntatis vel dictamina nostri intellectûs, detestationes individuorum vitiorum, vel actûs virtutum individuos, brevissimè, & ad infigendas cordi nostro virtutes habitúsque earum radicandos utilissimè validissiméque, in Deum jaculamur. Ut, v. g. cùm dicimus: *Domine, amori tuo condono injuriam, quam mihi iste nunc (hodie, nuper,) intu-*

lit : illúmque ex corde amo , illique hoc beneficium præſtare volo. Hoc actu & igneus in Deum affectus promitur , & caritatis actus heroicus elicitur , & individuè occaſio peccandi expugnatur , meriti verò uſurpatur, & actualis amor inimicorum fit , & iterum actuale propoſitum benefaciendi malefactori elicitur. Iſtud ergo ejaculatoriarum genus utilius reor, ſaltem proficientibus & incipientibus, quàm illud : Deus meus & omnia ! ô ignis qui ſemper ardes &c. Paratum cor meum Deus &c. O Domine ego ſervus tuus &c. In talibus namque vel ſolus affectus alitur , & is etiam ſolus prodeſt animæ, Deóque placet ; vel certè talium latitudo & intellectus à paucis noſcitur & rarò ab uſurpantibus penetratur aut intenditur. Igitur etſi omne ejaculatoriarum genus ad ſolidam virtutem multùm facit , poſterius tamen genus longè ampliùs eidem inſervit; ſi non quà ſolida , certè quatenus ſolidanda eſt. Addo his , quòd *Si oportet ſemper orare & nunquam deficere* , Luc. 18. 1. id certè orationibus ejaculatoriis convenit quàm maximè præſtare. Unde omne tempus, omnis locus, omnis actio , omnis occaſio , ipſa etiam cum hominibus occupatio, talibus orationibus apta eſt , & condiri debet. Suaſerim tamen , ut perfectus ac perfectionis amator , certis præterea temporibus ac vicibus,certas ejaculatorias , (2di generis præſertim) ſingulos in dies exerceat , ejúſque rei in examinibus ſpecialem à ſe rationem exigat. Sic enim fiet, ut non ſolùm ad ſe ſe & ad Deum redeat à creaturis ; non ſolùm igneſcat in Deum, ſed etiam

actus

actus practicos virtutum exerceat; actibúsque habitus in se perficiat, quibus perfectis virtutem solidam (quia perfectam) habeat. Quâ virtutes parandi ratione, nescio (post divinæ gratiæ auxilia) quid sit vel suavius, vel celerius, vel efficacius. Qua in re non verbis ago, sed ad experientiam remitto.

6. In vita spirituali nemo est, qui peculiaribus atque privatis non tangatur, feratúrque desideriis [vel etiam prematur indigentiis] sive certi vitii à se expellendi, certíve peccati actus devitandi, sive certam virtutem vel gradum virtutis in animo suo radicandi, vel gratiæ alicujus certæ à Deo obtinendæ &c. His desideriis in effectum deducendis, plerique inter alia & orationis præsidium adhibent, sæpè tamen parvo aut nimis tardo profectu. Quì hoc fiat, nihil attinet dicere in præsenti: hoc tantùm propono, quod efficax puto, tum ut citò, tum ut suaviter, tum ut efficaciter desideriis potiamur prædictis; salvâ in omnibus Dei voluntate, quam supponimus, & credere debemus in prædictis desideriis nunquam nobis deesse; nec ab ejus repugnantiâ, sed à nostra inefficaciâ illam raritatem & tarditatem provenire; neque esse culpam in oratione & aliis præsidiis, sed in nobis, qui utimur illis. Itaque si quis captus sit desiderio, v. g. plenæ Resignationis, atque cum Divina voluntate conformitatis, non solo & uno ejus sit desiderio contentus, sed laboret, ejus pretium, vim, naturam, latitudinem, efficaciam, occasiones, materias, actus cognoscere atque penetrare; laboret ejus intima æstimatione potiri; de ea le-

gat, loquatur, ſcribat, audiat; eam orationis ſuæ & longioris & brevioris materiam faciat; ejuſdem actus certo tempore, certo loco, certis occaſionibus, certis vicibus, quà internos, quà externos eliciat; aſſignet huic labori non unam diem, vel orationem, ſeù meditationem, ſed menſem, annum, plures, ſi opus eſt; ſingulíſque diebus, inter alia Meditationis puncta & propoſita, ſit aliquantula ſaltem æſtimatio, & deſideratio reſignationis, propoſitúmque illius actuale, individuum, circumſtantiis præſentibus cinctum. Singulis item diebus eandem crebrò à Deo petat proponendo, proponat petendo, v.g. Fiat Domine de me voluntas tua. Domine miſerere meî, ſicut ſcis & vis. Domine in te jactatio mea ſemper. Domine, quod vis, volo; quod non vis, nolo. Eadem Reſignatio ſit illi, in actionibus, ejus intentio. Ejuſdem reſignationis actus, deſideria, propoſita, unâ eadémque ſerie repetitis vicibus, pro ſpiritûs & temporis ſufficientia, eliciat decem, quinquaginta, centum, vel certè pro numero vulnerum Chriſti, gaudiorum dolorúmve Beatæ Virginis, annorum Chriſti, annorum B. Virginis &c. neque opus eſt, ut ad id ſubtrahat occupationibus minora tempora; otioſa & vacua huic operi impendat. v.g. dum ex loco in locum vadit, dum alicubi exſpectat aliquid vel aliquem, tempus illud in repetitione actuum reſignationis (vel eliciendo, vel proponendo, vel poſtulando, vel deſiderando) terat. Huic vel ſoli induſtriæ, examen inſuper adhibeat ſpeciale. Audeo dicere, fieri non poſſe, ut non brevi tempore, is qui ita ora-

verit,& laboraverit pro Resignatione,eam assequatur & ejus fructu gaudeat. In quo etiam ad toties repetitam experientiam remitto.

7. Orationis maxima est commendatio ex his tribus. Primum est Alacritas indefessa, de qua suprà satìs. Secundum est reverentia, sine qua nemo, nemo prorsus oret, quia nemo neque in oratione, neque ex oratione fructum faciet. Hic affectus est humilitatis filius, dux ad caritatem & familiaritatem Dei & cum Deo; qui nisi quem eò deduxerit, is non tantùm frustra, sed & periculosè laborat. qui scopulus multorum, ex nobis est, qui sæpè priùs audemus intimè cum Deo agere, quàm didicimus reverenter. Multum est priùs operæ in affectu reverentiæ ponendum ei, qui securè cum Deo amicitiam contrahere vult. Accedit deinde, quòd idem affectus sit fervoris spiritualis mater, devotionis quoque sensibilis & spiritualium consolationum origo. Qui semper cum Deo reverenter agit, nunquam tepescit, scriptum est enim: *Qui timet Deum, nihil negligit.* Et causa est, quia reverentia ista miscetur vilificatione hominis, & exaltatione Dei, ex cognitione utriusque proveniente. Hæc autem ambo gratiam Dei & favores pelliciunt ad animam ex Deo, & eam in pace secura firmant; ex gratia & pace, fervor atque consolatio manat interior. Tertium est fiducia seu fides Dei [ùt eam Christus Dominus vocat.] Quæ ideo dicitur fides Dei, quia credit Deum non tantùm velle facere, quod petit aut orat Oratio, sed etiam credit, & quasi pro certo habet, quòd facturus sit omnino

Deus. Hæc fiducia inter difficiles virtutes est etiam una; orationi tamen necessaria prorsus, ùt sine qua non constet Oratio. Porro fundatur hæc fiducia in resignatione & conformitate nostræ voluntatis cum divina, & quidem plenâ. Conformis enim voluntas nostra nihil potest velle, nisi quod vult Divina; & quidem etiam non ob aliud, nisi quia vult Divina: atque quod Divina vult voluntas fieri, infallibiliter fit; ideo etiam qui conformem cum Deo voluntatem habet, quando aliquid petit, tam certus est futuri quod petit, quàm certus est conformare se suam voluntatem Deo, in eo quod petit, & quàm certus est non posse non fieri id, quod voluntas Dei vult fieri. Ex hoc ergo fonte oritur fides ista, *montes etiam transferens, etiam solem sistens, etiam mare dividens, atque siccans, etiam mortuos suscitans quatriduanos.* Joan. 11. 43. Tali fiduciâ solida virtus aliorum nititur, gaudet, grandescit, solidatur.

8. Orationis fructus & finis debet esse Actio; éstque illa optima contemplatio, quæ incitat ad actionem, quæque dicit: *Egrediamur in agrum, videamus, si floruit vinea, &c.* tam privata, quàm etiam aliena. Sublimitates, vehementiæ, inardescentiæ, lachrymæ, dulcedines, si veniunt, non respuantur, neque tamen quærantur. Mensura Orationis, pérque illam solidationis in spiritu & virtute, est, ùt dixi, actio, magìs verò passio. Vide, quantùm subordineris Deo, subdaris Prælato, adæqueris proximo, humilieris spiritu, conteraris corde, oderis & vincas te, aspserneris creaturas, ordines vitam,

regas

regas linguam, & affectus; gulam, & reliqua, quæ carnis sunt, nescias; amore tui honoris & libertatis careas ; aliis prodesse, solus esse ames; Regulas & communem vitam serves; pati pro Deo defectum, despectum, dolorem quæras & gaudeas; ipsammet denique ad Orationem adspires & anheles. Quantùm de his in te invenies, tantùm te solidari per orationem in spiritu & virtute, nihil dubites.

Nec plura de Oratione propono , libri pleni sunt, & in promptu : considerationi hæc sufficient, in quâ quisque suam orandi consuetudinem examinet : & ubi bene dispexerit , non dubito , quin facilè causam, ob quam tot orationum suarum modicos & nullos fructus in se persentiscat , inveniat; quam inventam si emendatione tollet, tum vel facilè , quantùm sit ad solidam & solidandam virtutem instrumentum mediúmque oratio , experimento fructuoso cognoscet.

CONSIDERATIO XIV.

Virtus solidatur amore, curâ, usu, gratiæ Dei.

INter instrumenta & Media solidæ virtutis atque solidandæ , ponimus 2do loco Gratiæ Divinæ amorem, curam , usum. Non immeritò. Nam si absque gratia Dei nihil fit boni, quantò magìs absque eadem nihil fit perfe-

ecti,

cti? Si nihil sinè illa inchoatur, quomodo sinè illa solidatur & consummatur? Est ergo haud dubiè gratia, virtutis & instrumentum & medium, immò si rectè loqui & plenè volumus, est etiam principium, est semen, est vita, est fundamentum, est complementum.

Gratia Dei alia est Actualis, alia Habitualis. Illa non sanctificat, sed ad sanctificationem vel vocat, vel ducit, vel adjuvat, vel accedit. Ista verò sanctificat, immò sanctificatio ipsa & sanctitas est. Sinè illa ad istam non pervenitur, nec in ea perseveratur; sed tamen illa sine ista, vel nisi introducat istam, ad nihil, nisi ad cumulum pœnæ computatur. Utraque ergo amanda, magni æstimanda, quærenda, conservanda, nutrienda est. Et habitualis quidem, ut perpetua sit & constans, & nunquam exulet (alioqui de vita animæ actum est,) semper verò crescat in nobis. Actualis verò, ut frequens, ut congrua, opportuna, efficax, proportionata sit; illuminando intellectum, movendo & stimulando affectum, suaviter inducendo utrumque ad ipsum effectum: quia ejus officium, docere, movere, delectare, & ante opus, & in opere, & post opus. Habitualem cùm volumus, habemus; imò quâ ratione habenda sit, infallibiliter novimus, si modò rationem illam usurpemus: Nec recedit à nobis nisi volentibus; nec aufertur nobis, nisi ejicientibus.

Actualis gratiæ alia ratio est. 1ma & præveniens non cadit in meritum: cùm enim gratia sit, gratìs & non merenti datur; alioqui si merenti daretur, non gra-

gratìs daretur, non esſétque gratia, ſed debitum ſeu præmium. ſed nec aliæ prorſus ad voluntatem nobis ſerviunt: *Verùm ſpiritus, ubi vult, ſpirat; vocem ejus audis, & neſcis quò vadit.* Joan. 3. 8. Omne tempus illius eſt, omnis locus, omnis occaſio & actio, nulli tamen alligatur, nulli adſtringitur: it & redit. Beatus qui vigilat, & paratus vel excipere venientem, vel occurrere venienti vel apprehendere atque retinere avolantem. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret uſque ad occidentem, ſic eſt iſte ſpiritualis adventus Filii hominis.* Matth. 24.27. ſive gratiæ ipſius. proinde ſæpiſſimè gratia iſta priùs avolat, quàm cognoſcitur adfuiſſe; quantis autem cum noſtris damnis, hoc neſcio, an cuiquam in hac vita cognoſcere conceſſum ſit.

Una aliquando Actualis gratia (inſpirationem vulgò dicimus) ingentis eſt Meſſis ſeminarium: quæ ſi capiatur, & per conſenſum in exercitium actúmque deducatur, totam illam meſſem hominis facit, eíque poſſidendam tradit; ſi negligatur vel etiam rejiciatur, omni illâ gratiarum ſecuturarum meſſe anima neceſſariò caret. Quantùm gratiarum & bonorum homo aliquis Religioſus in tota ſua Religioſa vita ad mortem uſque percipit! metiatur & numeret, qui poteſt: at omnis hæc gratiarum immenſitas ex una gratia vocationis effluxit; gratia vocationis autem quid tandem fuit? aliud nihil quàm gratia actualis, hoc eſt, unica cogitatio ſeu inſpiratio menti intimata de ſæculo deſerendo. hæc congruè data, congruè etiam acceptata, totum

hoc

hoc gratiarum Religiosarum mare peperit. Dedisset Deus inspirationem, sed homo non acceptâsset, abjecisset vocationem; abjectione illâ omnem hanc Religiosarum gratiarum farraginem à se exclusisset, & quo tandem suo damno; quo periculo? quo & quàm certo damnationis æternæ primordio? qui sapit, intelligit. Ego dico, tales actuales gratias, multarum aliarum gratiarum maximarum post se trahentes seriem, crebrò hominibus offerri, sed simul crebrò ab hominibus Religiosis negligi; an sine incredibili damno, judicent ipsi: sed vereor non judicabunt, quia perinde hanc veritatem, atque Divinam inspirationem, nihili faciendam judicabunt.

Quamvis autem istiusmodi inspirationibus gratiisque actualibus nulla lex præscribi potest; neque scire potest homo, quando venturæ sint; sunt tamen in Religioso statu (Religiosis loquimur & hæc proponimus) quidam actionum & occupationum veluti niduli, in quibus hæ gratiæ quodammodo commorantur, ita, ut si eos nidulos homo Religiosus tractet, & verset, & excutiat, idem illas actiones debitè exerceat, reperturus sit in eis evolantes, an avolantes, gratiarum & inspirationum aviculas. Ejus generis sunt Sacramenta inprimis omnia quidem, & præcipuè Pœnitentiæ & Eucharistiæ. Hæc si Religiosus Religiosâ præparatione, usurpatione, consideratione, prout cujusque natura fert, obeat, non est possibile, ut plurimas actuales gratias, plurimas inspirationes, ad hoc vitandum, ad illud curandum, ad illam virtutem, ad

ad illam piam observationem stimulantes non excutiat ex hisce nidulis. Quòd si neglectim Sacramenta obit, aut etiam non obit; si imparatus ad Confessionem, indevotus ad Communionem sacram accedit, quid mirum, si & gustu & devotione, & permotione cordis caret? Gratia Dei non contingit indignis: *& qui sordescit, ei dicitur, ut sordescat adhuc.* Apoc. 22. 11. Et sanè ita fit. Nunquid enim tam crebris usibus Sacramentorum vita omnium nostrûm ex æquo respondet? & cur non respondet? cur in antiquis hæremus imperfectionibus? culparum actibus? passionum pugnis? cur? nempe dicitur de nobis: sordescat adhuc. Dicitur autem ideo, quia sordidâ præparatione atque dispositione ad Sacramenta accedimus.

Quod de Sacramentis dixi, dico idem & expendendum suadeo de sacrosancto Sacrificio, quæ est actio, omnium sub sole gravissima, gratissima, efficacissima, sed non, nisi dignè eam peragentibus. Dignè autem cùm dico, omnem apparatum præparationis, celebrationis, gratiarum actionis post celebrationem includo. Nec ampliùs moror; unum rogo Religiosum Sacerdotem, ut si qua in actione sua vult & solet sibi permittere negligentiam, ea nè sit sacrificium missæ, nè sit Communio & Confessio Sacramentalis.

Subjungo Sacramentis Orationem, Lectionem spiritualem, collocutionem spiritualem, reflexionem & examen conscientiæ; collectionem mentis, horariam, diurnam, menstruam, annuam &c. de

hac

hac dico & inculco totum hoc, quod suprà attuli. His occupationibus alligatæ sunt, ut sic loquar, gratiæ actuales, Divinæque motiones. id adeò experientia probat, ut me explicare non sit opus; consideratio ipsa docebit, rem ita esse. Constat, eos qui debitè obeunt Meditationes, Lectiones, colloquia, examina, collectiones mentis, nunquam aut rarò desiderare instinctus divinos ad omnem perfectionem sibi congruam. Dum enim quis meditatur, convertit se ad se, suos mores inspicit, probatos vel improbandos cognoscit, agnitos complectitur & in eis perseverat, si boni sunt: reprehendit & corrigere proponit si mali sunt. & hæc jam illuminatio est, hæc jam permotio est. Porro qui non meditatur, vel aliud longè agit, quàm meditatio poscit, is non se inspicit, consequenter sua errata non cognoscit, non agnita non corrigit; committere ergo pergit, insuescit: in eis roboratur, durus evadit, correctu difficilis vel impossibilis; ita & excæcatur intellectu, & induratur affectu, tandem ruit præceps in gravia, & privatur gratiâ, quandoque etiam punitur apostasiâ. Factitasset is diligentiùs Meditationem; evasisset omnem ruinam, & tenuisset perseverantiam.

Quod de oratione seu meditatione attuli, par est de reliquis judicium formandum: sicut & de observatione Regularum, quibus eodem modo actuales gratiæ alligatæ sunt, ita ut si à Religioso serventur, prout debent, earum observatione, Religiosi mens vel illuminetur, vel illuminari merea-

tur,

tur, illuminata verò proficiat. Si autem observatio negligatur, consequens est, ut etiam inspiratio divina amittatur, & ad recipiendum minùs idonea reddatur. Observatio siquidem voluntatis Dei, præcipuum est medium, ad cognoscendam voluntatem Dei. Unde Salvator ait: *Si quis voluerit, voluntatem ejus* (Patris) *facere, cognoscet de doctrina mea, utrùm ex Deo sit.* Joan. 7. 17.

Ex quo etiam deduci ulteriùs potest, gratiarum actualium collationem à Deo præcipuè obtineri usu earum gratiarum: quod fit, quando homo mollem & tractabilem se exhibet inspirationibus divinis. quando eas observat, acceptat, fovet, in terram cordis sui boni seminat, per propositum & magìs etiam per actuale exercitium in officium deducit. Hinc namque fit, ut gratia Dei, & verbum Christi non revertatur, ad authorem suum, vacuum, sed ferat fructum 30. 60. 100. & dicat servus fidelis Deo: *Domine, mna tua acquisivit* 10. *mnas*, Lucæ 19. 16. vicissímque audiat à Domino: Euge serve bone & fidelis, esto potestatem habens super decem Civitates. Inde gratia gratiam parat, imò (ùt dixi) gratias catenatim post se trahit, incredibili cum fænore spiritûs, roboratione virtutis, incremento fervoris & avaritiæ spiritualis.

Quod totum quia absque reflexione mentis esse non potest, ideò spiritualis vitæ profectú'q; avidis, nunquam satìs laudare possum vitam reflexivam: hæc enim est, quæ custodit vias Dñi venientis; hæc, quæ observat lucem gratiæ, & minimum quemque attactum cordis, ut aperiat pulsanti, in tempore. Hæc est, quæ præsentem adesse cordi nuntiat; hæc

eſt, quæ abire parantem non ſinit, ſed detinet piiſſimâ violentiâ. Hæc eſt, quæ implet illud Dominicum frequens ſatìs præceptum : *Attendite*, *Vigilate*, *Videte*. omnibus iſtis reflexio occupatur & ſatisfacit. Reflexio igitur eſt infatigabiliter amanda & exercenda; citra tamen actuationem nimiam, & capitis detrimentum. Prudentia docebit modum, ut ſcilicet homo ad ſe ſe certis temporibus redeat, & ſe ſuáque inſpiciat: eadem faciet, ut ſemper homo ſibi præſens ſit, etiam tunc, cùm aliud aliquid agit: circumſpectè aget, & enim non effusè, nec abſorptè, ſed veluti actioni ſuæ ſupereminendo; quod reflexioni ſatìs eſt.

Quia verò reflexionem maximè impedit multitudo, feſtinatio, moles actionum, itémque inordinatio tam temporum quàm occupationum; ideò ſolidæ virtutis amator, & gratiarum ſectator, importunitatem occupationum, effuſionem in eas cogitationum & internarum virium, perturbationem etiam paſſionum (præcipuè cupiditatis & iræ) inconſtantiam quoque, incertitudinem, ac inordinationem negotiorum ac temporum vitabit diligentiſſimè. Quo fiet, ut perturbatè effuſéq; nihil, omnia maturè, ſedatè, circumſpectè, reflexéque agat; ſuus & apud ſe ſit, occupationibus ſupernatet; ad obſervanda interioris hominis negotia & eventa aptus, conſequenter advertere & excipere venientes gratias hoſpites potens ac facilis ſemper inveniatur.

Hæc de amore, curâ, uſúque gratiarum actualium conſiderâſſe ſufficiet ei, qui hoc inſtrumento

ad

ad solidandas suas virtutes uti volet. De gratiæ habitualis curâ, cùm non pauca ex dictis de actuali, serviant etiam amori & curæ habitualis, ideo pauca afferam.

1. Certũ est, Gratiæ habitualis pretio nihil ex omnibus post Deum creatis bonis conferri posse, adeò ut minimum ejus bonum præstet aliis omnibus maximis; consequentérque minimum gratiæ istius lucrum & incrementum majus sit, majoríque curâ, labore, sumptu quærendum, quàm maximum augmentum aliorum quorumcunque: consequenter item amorem & curam hujus solius gratiæ augendæ & fovendæ debere esse majorem quàm omnium aliorum bonorum parandorum post Deum: consequenter quoque hujus gratiæ amittendæ periculum plùs formidandum & repellendum, quàm aliud omne: consequenter adhuc damnum hujus gratiæ etiam minimum, quod per hoc crebrò incurritur, quia non curatur, magis esse deflendum, magis avertendum, majoríque curâ & studio sarciendum, quàm damnum ullius alterius rei, & opinione hominum maximæ. Et cùm gratiæ istius parandæ atque augendæ tempus sit istius solius vitæ, quæ adeò volax & brevis est, cujúsque tot partes sine fructu gratiæ ab initio usque huc perdidimus, & adhuc perdemus: concludat qui sapit, *quanti tempus æstimare*, *quàm parcè tempore uti*. Sap. 4. 13. quàm, in brevi, explere multa debeat satagere vir Religiosus; ut gratiam hanc, quàm maximis, in esse augeat & accumulet, per omne momentum vitæ suæ, incrementis. Et nunquid ita de

gratia ſentimus ? aut ita pro illa augenda laboramus ? ſed præſtat pergere.

2. Hæc gratia acquiritur in Sacramentis, fovetur etiam Sacramentis ac augetur, & Sacrificiis. quomodo, quàm efficaciter; non eſt hujus loci. quàm condignam exigat & ſequatur præparationem atque uſurpationem, dictum jam ſuprà de actualibus gratiis.

3. Fovetur hæc gratia fugâ peccatorũ omnium, etiam minimorum; obſervatione mandatorum, conſiliorum, voluntatum ſeu placitorum Dei, etiam minimorum. Fovetur fervore charitatis, cujus incrementa ſunt incrementa gratiæ; fovetur afflictionibus ſpontaneis, tam mentis per humiliationem & omnimodam reſignationem, quàm corporis per diſcretam, aſſiduam mortificationem, per hilarem patientiam injuriarum & contemptuum, per contemptum actualem creaturarum, per zelum animarum: uno verbo, fovetur & augetur gratia per aſſiduitatem & frequentiam virtutum, per exercitium earum crebrum in heroico quovis gradu, per fidelitatem ad Deum in omnibus, per gratitudinem, per orationem, per vivam & jugem in omnibus JESU Chriſti paſſi, contempti, ſtulti, pauperis, obedientis, caſti, crucifixi, imitationem, & denique per conſtantem in his omnibus perſeverantiam. Satìs de his. Quæ hìc dicta ſunt, in ſe unuſquiſque noſtrûm, quomodo ſe habeant, attendat; & quomodo deinceps virtutem in ſe ſolidare, per amorem, curam & uſum gratiæ Dei debeat, cognoſcat: ídque quàm firmiſſimè effectum

dare

dare proponat, neque tantam æternorum bonorum messem, inter manus suas positam, sibi elabi patiatur.

CONSIDERATIO XV.

Virtus solidatur amore & imitatione tam JESU Christi, quàm B. Parentis Virginis MARIÆ.

QUantò certius est, & apud omnes pios magìs persuasum, solidæ Virtutis parandæ vel tuendæ instrumentum, atque medium omnium præsentissimum esse, amorem, imitationem JESU Christi, & ejus Matris Pretiosissimæ; tantò mihi quidem pauciora scribenda, sed consideranti tamen in animum profundiùs efficaciúsque demittenda, & ad praxim revocanda erunt.

Imitari Christum & amare, itémque Pretiosissimam Parentem, & omnis & solida virtus est. Nam & ille author, principium, Dominúsque Virtutum est, & ista mare virtutum verè censetur. Utrumque ergo amare & imitari, non est virtutes habere, sed fontes atque authores, atque capita & maria virtutum possidere. Sed amandus atque imitandus est Christus, nec non Mater ejus MARIA; nec propter Virtutes, verùm propter ea, quia & MARIA digna est, & JESUS dignus, ut

ametur, ut imitatione mores utriusque exprimantur, & quia est hæc voluntas tam MARIÆ, quàm Christi, inprimis autem Sanctissimæ Trinitatis.

Amor Christi (item B. Virginis) si tener sit, bonus est; si rationalis, melior: si sublimis, longè melioribus optimus. Tenerum voco, qui, nescio quid, de sensu & mollitudine sensibili habet, amátque secundùm carnem. Qui amor initio bonus est, neque etiam unquam prorsus evacuandus, attamen seponendus tandem ùt plurimùm est, & in spiritualem purè evehendus, ùt dicere possimus: Cognovimus Christum Dominum carne, nunc autem jam non novimus, consequenter & non amamus. Et hunc rationalem voco, qui non tam ad exteriorem sensualémque Christi gratiam attendit, (quod proprium est illius teneri) quàm interiorem: quòd sit Homo - Deus, persona divina, Sanctus, plenus gratiâ Redemptor, Doctor Veritatis, Exemplar vitæ, Fons meritorum, Caput Ecclesiæ, Pater futuri sæculi &c. Quæ omnia, quia tantùm rationali fide, & fideli ratione capiuntur, ideo amorem ex eis natum vocavi rationalem, qui haud dubiè perfectior est illo tenero amore. Sublimem voco eundem quidem ipsum rationalẽ, sed delectum, distinctè Christi intima noscentem; lumine, normâ, exemplo ejus viventem, non contentum enim & præceptis, sed consilia sectantem; & ea ipsa non quolibet & plebejo modo, sed perfecto, cui unica cura Christus, cogitatio vita Christi, studium gloria Christi, delectatio Contemptus Christi, divitiæ pau-

paupertas Christi, lucrum mors Christi, & pro Christo; cui labor prædicare Christum, & hunc Crucifixum, adimplere ea, quæ desunt Passioni Christi, & circumferre mortificationem ejus in corpore suo, eidem configi, & ejusdem Cruci, vivere jam non in se, sed in Christo & viventem in se habere Christum, ídque totum ob unicam & solam gloriam & voluntatem Patris, vel SS. Trinitatis. Idipsum proportionabiliter sentiendum est de amore B. Virginis, cujus quoque iisdem gradibus amor in nobis discerni & crescere nóscitur, ita ut in quibusdam & aliquando sit paulò maturior, & reverentiâ admistus, similis illi, qui in adolescentulis filiis est erga Matres. Denique in quibusdam est planè maturus & excoctus, omnes in se complectens æstimationis & pietatis filialis in Matrem affectus & effectus: similis ei, quo adulti & maturi filii Matres amant. Sic enim & illi Dei Matrem honorant, ei obsequuntur; candore, simplicitate, fiduciâ, communicatione, plenitudine integerrimâ Matri Divinæ convivunt, atque cum ea tractant & conversantur, eámque diligunt tenerè sed defecatè; filialiter sed appretiativè; graviter & circumspectè, sed intimè & plenè fiducialiter, & liberè ac planè possessivè. Ad hunc amorem seu Christi, seu B. Virginis solidis virtutum sectatoribus aspirandum est, in eóque congruis exercitationibus, & pietatis affectibus atque actibus cor exercendum, & medium ponendum tamdiu, donec istiusmodi amor radices in mentibus eorum egerit, & veluti in naturalem (licèt sit summè supernaturalis) consuetu-

dine transierit ; quos quidem affectus & actus , tum ex dictis considerans colligere, tum ex proprio usu , aliorúmque tractationibus petere poterit.

De imitatione Christi brevius erit negotium explicare; licet considerare, & re ipsâ imitationem hanc exercere,debeat esse longissimum, immò quotidianum atque perpetuum. Solidæ virtutis amator imitabitur Christum in duobus : in spiritu, quo venit, vixit, mortuus est; & in modo, quo hæc ipsa præstitit. Spiritus Christi nullus alius fuit, quo in mundum venit, in mundo vixit, de mundo denique transiit, & quem in mundo reliquit, nisi facere voluntatem Dei, & evertere omnem voluntatem atque sapientiam mundi. Hoc quàm tota ejus vita, doctrina, mors clamet , luculentum satis est. Modus, quo prædicta omnia præstitit Christus, est ille, quem Apostolus expressit unico verbo. Exinanivit semetipsum. Quidquid Christus fecit, cum exinanitione suî fecit , adeò, ut teste ipsomet, neque locum capitis reclinandi habuerit : adeò, ut etiam inter creaturas esse, moriendo morte turpissimâ, desierit : & hæc omnia ideo, quia voluntas Patris ista fuit. Nihil opus pluribus tibi Religiose, qui solidus Virtutis esse sectator appetis. Vade, & tu fac similiter. Adjunge tibi triplicem illam JESU Societatem: paupertatem, contemptum, dolorem propter Dei voluntatem, quarum nullam Christus ad mortem usque demisit à se, sed ea perpetim in omni vitæ puncto comitatus incessit. Exinani temetipsum usque ad Exinanitionem illam, quâ

quâ & Christus Dominus se se exinanivit : ubi hoc effeceris, sufficit tibi : his amplius fili mi ne requiras. Hæc est scientia, & imitatio Christi : Mundo per omnia contraire, Dei voluntati per omnia conformari; Christum ad vivum & unguem, ùt ajunt, sequi, per omnem ejus paupertatis, contemptuum, dolorum, exinanitionis plenitudinem. Decet enim capiti conforme esse membrum.

Virginis MARIÆ imitationem, mores ejus te docebunt; si Christum fueris secutus, MARIAM imitaberis. MARIÆ namque spiritus & vivendi modus, fuit Christum sequi & illi ministrare. Itaque Christum sequi, Mariam imitari est, & vicissim Mariam imitari, sectari Christum est. Talis enim fuit MARIÆ vita, ut in ea velut in speculo reluceret omnis species & forma vitæ, atque mores IESU Christi; quapropter unius imitatio, alterius est expressio.

Solidis in virtute, prædicta sufficient, sive illi jam sunt, sive adhuc esse volunt. Interim intueatur quisque nostrûm, quantùm absit, vel ab amoris, vel ab Imitationis Christi, ejúsque Matris soliditate. Et certè si Christi Mariæque vita, vita quodammodo virtutis ipsius est; itaque quantùm à summitate vitæ Christi & MARIÆ abesse nos conspexerimus, tantùm nos à summitate virtutis abesse ne dubitemus. Attamen ad summa conantibus, gloriosum erit in secundis consistere, dummodo faciat unusquisque, quod est in se. Quod an faciat, quare non faciat, quàm nugatoriis nugis impediatur, ne faciat, viderit ipse: & cogitet, quomodo ex-

cusabilis erit apud Deum, qui excusabilis non est apud se.

DIES VI.

De speciebus Virtutum Solidarum. 1. De tribus Votis Religiosorum. 2. De Fide, Spe, Charitate, Humilitate, Patientia. 3. De resignatione, fervore, Efficacitate, Perseverantia.

CONSIDERATIO XVI.

De Virtutis soliditate in tribus Religionis Votis.

HActenus generale tantùm virtutis solidæ nomen perpetuò usurpavimus; illius solidandæ, in soliditate conservandæ, locum, tempus, occasiones, media & instrumenta & exempla ad considerandum proposuimus. Jam sequitur, ut ipsas etiam particulares virtutum solidarum considerandas proferamus. Atque 1. loco in medium prodeunt, paupertas, Obedientia, castitas, non quia eæ sint omnium primæ, sed quia hæ sunt Religiosi statûs constitutrices. Constat enim, substantiam Religionis in Votis tribus, scilicet paupertatis, castitatis, & obedientiæ consistere. Prima itaque solidæ Virtutis species est paupertas. Paupertas, inquam, spiritu, item re & veritate, quæ perinde nihil habeat, atque nihil amet seu cupiat,

piat. Nam etsi non tam substantia hujus mundi, quàm cupiditas & amor substantiæ nocet; tamen substantia si habeatur (esto non amata) curatur. cor ergo, quod Deum curare debuerat, ejus curâ occupatur; & quia inter curam & amorem eorum, quæ curavimus, modicum est intervallum, ideo habita & curata difficile est non amare; atque non est plenus Dei amor, si paupertas non est plena. Non est autem satìs, nihil cupere vel habere, sed oportet insuper nihil habere, nihil cupere licitè posse. Oportet adhuc etiam, in usu rerum solam necessitatem, eámque rigidam spectare; & nihil, quod necessitas non exigit, attingere. Oportet & hæc ipsa quæ necessitas poscit, non ex propria voluntate vel quærere, vel accipere, vel retinere, sed in his alieno à nutu pendere. Oportet etiam in necessariis viliora quærere & amare. Oportet ipsa viliora, tanquam si essent optima, commodè, ut diù serviant, servare; & velut Patrimonia Christi, quibus tu indignus sis, custodire. Oportet hæc ipsa quæ habes necessaria, statim ac voluntas aliena accesserit, deserere, nec pro iis retinendis vel recuperandis solicitum esse. Oportet, si quæ etiam necessariorum desint, æquanimiter ferre, modestè petere, patienter exspectare; ac si negentur, gaudere, & Matrem paupertatem tum demum veram agnoscere. Nam pauperem esse, & in nullo egere, quis nolit? Majus est hoc omnibus mundanorum possessionibus, qui cùm pauperes non sint, nec esse velint, multis tamen egent. Igitur si Religiosus, paupertatem professus, in nullo egeat, aut in nullo

nullo egere velit, is secularium divitum paupertatis statum & paupertatem in nullo excedit, immò ab illis exceditur non tantùm in indigentiâ, sed etiam in egestatis suæ tolerantiâ, quorum neutrum delicatus Christi pauper experiri dignatur, perpetíve potest. Mentitur ergo talis, dum se pauperem Christi dicit; cùm omnis seculi hujus dives, illo & pauperior, & paupertatis suæ amantior, aut saltem tolerantior est.

Altera species solidæ virtutis castitas est. Cujus neque amorem, neque media, neque perfectionem explico. Utor Sancti Patris nostri in hac re moderamine. Angelicam ille requirit & mihi satìs est. Custos Castitatis & zelator solidus laboret, vigilet, esuriat, oret, cor seu mentem seriis semper occupet. Tentationes vèl importunissimas, contemnendo, & cor occupando, elidat, cum iísque, nec per speciem resistendi, nec per speciem corpus afflictandi, cominus depugnet, sed alia omnia agendo dissimulet, conspectúmque & congressum fugiat. Pericula non intret, nec sibi fidat. Humilitatem sectetur. IESUM Christum & ejus Matrem viscerosè amet. Sacramentis bene utatur. Nullam creaturam viscerosè, (esto spiritualem, esto spiritualiter,) amet. Tentationes suas in semine adhuc, vitæ suæ Duci manifestet. Sensus & corpus molestiâ & afflictatione atterat, omni genere & modo, quo discretè potest, sed imprimis inediâ, & siti, & vigiliâ, & orationis assiduitate, ita ut murmuret corpus de spiritu dicens: Vivere non licet, & lascivire liceat?

præstat

præstat vivere aut saltem valere non posse, quàm lascivire posse. Religiosus, non quod caro poscit, sed quod spiritus velit, attendat. Sic tamen persequatur hostem, ut civem non interficiat.

Tertia species Virtutis solidæ, Obedientia est, de quâ in superioribus sæpiùs, & multa solida sunt proposita. Hìc pauca addo. Obedientia, est tota Religiosi felicitas, vita, fortitudo, substantia. Hæc debet esse aliquando inobediens ex parte, ídque in duplici casu. 1. Si quid honorificum, si quid secundùm sensum & propensionem obedientis jubeatur, ægrè ad hoc obediens inclinari debet & non nisi adactus cedere, sinceréque cum imperante procedere, ac periculum inclinationis suæ manifestare. 2. Si quid vile, molestum, sensui, voluntati, judicio, rationi repugnans jubeatur, ad id propria voluntas (alioqui obedienti prohibita) sponte inclinari, evolare & festinare debet. Obedientia mors est tentationum omnium. Nihil facere debet Religiosus, quantumvis gravis & veteranus, quod nolit superior, quod nesciat, quod non approbaturus credatur. Obediens verus & perfectus non vult, non sinit, non exspectat, non gaudet moram injici obedientiæ seu imperio suo, non desiderat retractari imperium, intercessores & interpositores apud Superiorem non tantùm non curat, sed neque curatos admittit, neque interponentes se æquanimiter fert, sed potiùs denunciat, impedit, prævenit; & hoc ipso ad exequendum festinat, quòd aliquos ad se ab obediendo eximendum

dum paratos novit. Alioqui collusor erit hostibus obedientiæ, & inobedientium frater. Obediens promptiùs minutis obedit Superioribus & Officialibus; quàm majoribus. Tantùm enim majoribus superioribus velle obedire vel libenter ac promptè obedire, superbia est, & personarum aucupatio, & non divinæ sed humanæ personæ in Superioribus consideratio, alioqui enim Deus ubique idem est, & ubique æquè dignus, æquè magnæ authoritatis. Obediens quantò major & dignior, majorísque authoritatis ac meriti persona est, tantò levior esse superioribus suis debet, neque illorum authoritatem premere, neque obedientiam gravare,(alioqui inter filios Sarviæ computabitur) sed potiùs debet se superiori primus subdere; facillimum & tractabilissimum præstare, cæterísque subjectionis exemplum dare, neque omninò supra vel extra obedientiam esse. Nam si quis extra obedientiam est, est etiam extra disciplinam, ergo non filius, sed spurium & adulterinum vitulamen. Sic enim argumentatur Apostolus ad Hebræos. Obediens, etiam cùm nemo testis est ejus obedientiæ, obedit. Obediens plenam & punctualem obedientiam exercet, ut nec jota, nec momentum, nec passum, nec pilum in obedientiæ sacrificio non expressum, non expletúmque sinat. Obediens grandia & mira & quæ raris & non nisi insignibus imperantur, sibi imperari non cupit, non gaudet; communia & vilissima, & quæ nemo miratur imperari, hæc gaudet sibi imperari & his occupari. Obediens obedit, ut obediat; éstque ejus præ-

mium obedisse ; vult post obedientiam peractam redargui, gratitudinem non spectat ; tacitus ac si nihil esset actum, incedit. Obediens diem, quo non obedivit alicui vel in aliquo, illum perdidit, & Religiosus non fuit. Obediens, in lectulo obedientiæ, & ultimum spiritum suum in obedientia & ex obedientia emittere debet. Obediens vult non videri obediens. Obediens personam hominis in eo, cui obedit, non videt, neque, timet, neque amat, sed Christum intuetur. Estque hoc obedienti (sicut debet esse omnibus) perfecto persuasum; quòd in Superiore, respectu obedientiæ & obedientium, persona hominis non sit, sed Dei; ut proinde nec imperet homo sed Deus, aut certè homo-Deus, seu indutus hominem Deus; nec etiam obediens obediat homini Deo, seu hominem induto Deo, adinstar ejus, quod in Mysterio Incarnationis credimus, in quo antequam Pater æternus diceret nobis de Christo. *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* Matth: 17. 5. Antequam visum promulgaret Magistrum nostrum, illique obediendum præciperet, abstulit ab illius humanitate personam hominis, & dedit illi personam Dei filii sui, ut sic, & qui doceret nos, esset Deus seu Homo-Deus, indutúsque hominem Deus, & nos audiremus, obediremúsque Christo non homini, sed homini-Deo, indutóque hominem Deo: atque ita sicut obedisse Christo, obedisse fuit Deo, ita obedisse Prælato, obedisse est Deo; & sicut non audire, contemnere, obmurmurare Christo, est & erat non audire, contemnere, obmurmurare Deo, sic & modò

non

non audire Prælatum, obmurmurare majoribus, contemnere imperantes, eſt obmurmurare Deo, non audire Deum, contemnere Deum. Itaque videamus, an juſtè dictum ſit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit: qui vos audit, me audit*, Lucæ 10, 16. Videamus, an juſtè dictum ſit: Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. videamus, an juſtè dictum ſit, eſſe quaſi peccatum ariolandi non obedire, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Dico vobis, quicunque obedientiam profitemini hominibus propter Deum, Sacramentum hoc magnum eſt, & neſcit homo pretium ejus.

Sed ſufficiant iſta quæ dicta ſunt. Inſpiciamus vota noſtra, probemus ſoliditatem virtutum noſtrarum, & virtutum quidem harum nunc prædictarum eò diligentiùs, quòd ad earum ſupremam perfectionem, Votorum ſanctiſſima devotione ampliùs obligamur.

CONSIDERATIO XVII.

De Fidei, Spei, Charitatis, humilitatis, patientiæ, soliditate.

IN homine perfectionis ac solidæ virtutis cupido, utì nulla Virtus deesse, ita nulla solida non esse debet; eæ tamen, ut sic loquar, solidiùs debent inesse, sine quibus nihil solidum potest in homine esse. Cujus quidem generis

Prima Virtus est Fides, cujus est credere ea omnia, quæ credenda à Deo per Ecclesiam Catholicam Romanam proponuntur. porrò perfectæ fidei, non est tantùm credere, aut firmiter credere, sed etiam practicè atque efficaciter credere, vitámque fidei conformem vivere. Et neque hoc omninò ad perfectionem Fidei sufficit, sed insuper perfectionem in praxi & efficacitate ista requirit: ut fidelis non tantùm agat quæ credit, nec tantùm sic vivat, quomodo credit, sed etiam, ut quidquid perfectionis, sublimitatis, atque Heroici gradûs: in dictaminibus, in dogmatibus, in præceptis, in Consiliis fidei, denique in placitis Dei reperitur, hoc totum & credat, & quoad fieri potest, effectui det. Fides est illuminata, immò lumen perfectum, hominem perfectiùs de mysteriorum fidei cognitione illuminans, & penitiùs atque gustabiliùs penetrare faciens, assensúmque confirmans, & volunta-

luntatem contentam faciens, dubitationes vel abigens, vel momento diſpellens. Fides perfecta non indiget miraculis; ſufficit illi, dixiſſe Deum, propoſuiſſe Eccleſiam. Fides perfecta veneratur Eccleſiam, & minutos etiam ritus ejus tenerè obſervat. Fides perfecta zelat fidem, ejus profunda ſcrutatatur, enucleat, libenter prædicat, & omnibus innoteſcere facit, & pro uno fidei jota, parata eſt fundere vèl vitam. Fides perfecta totam hominis perfecti fermentat vitam, & omnem actum ejus facit proficiſci ex fide, & ſublimari fide, ſupráque naturæ limites evehi. Et hoc eſt unum ex operibus tum fidei, tum hominis, perfectionis in fide cupidi, ut quidquid agit, ex intentione fidei, ſeu fideli, ſeu per fidem notâ agat; agat autem ex intentione inſuper non humili, ſed ſublimi atque Heroicâ. Quod genus vivendi rarum eſt in hominibus, rarum etiam in perfectis, quia & iſti plurima vitæ quotidianæ opera, non ex fide facta, nec in finem fide notum perfecta atque directa, amittunt potiùs quàm faciunt. Nullum enim opus, eſto ab homine in gratia poſito profectum ſit, ſi fide, hoc eſt, ſupernaturali fine animatum non ſit, ad meritum æternæ vitæ conducit. Et quanta, quámque multa talia quotidie, etiam à perfectis, fiunt! Ipſi videant, quanto gloriæ æternæ, & gratiæ internæ damno fiant.

2. Virtus Spes eſt. Hæc ſperat à Deo æternam vitam propter Chriſti merita, propter rectè actam in Chriſto vitam, propter Dei liberalitatem atque gratiam. Hæc ſperat in Deo tantùm, quantùm non

fidit

fidit in se & in ulla creaturâ. itaque nulla est perniciosior pestis spei, quàm fiducia suî. Præsumere juxtà ac desperare spes non novit. Nam & non sperat gloriam sinè bona vita, neque desperat eandem cum bonâ vitâ; neque tantùm sperat eandem cum bonâ vitâ, neque tantùm sperat eandem ex bonâ vitâ; sed ex Dei gratiâ cum bonâ vitâ per Christi merita. Spes hominem facit omnipotentem: tantùm enim potest homo, quantùm sperat de Deo; & quidquid non potest homo, ideo non potest, quia non sperat de Deo; non sperat, inquam, eâ spe quâ debet, quæ spes est perfecta submissio & resignatio, & sepultura totius hominis in Deo, in Dei placito, in Dei providentia, in Dei auxilio. Nam nisì quis totum sese conformet Deo, & nisì semper faciat, velítque facere hoc solum & totum quod vult Deus, quâ fronte potest homo spem suam obtinere, ut omne id quod vult homo, indubitatè faciat Deus? Quantùm ergo homo conformatur, & obedit Deo, tantùm Deus conformatur & obedit homini; quantùm autem homini obedit Deus, tantùm per spem præsumat homo de Deo. Quare per omnia homo conformetur Deo, & in minutis etiam ad momentum (quoad fragilitas humana sinit) consentiat Deo, exequatúrque quod novit placere Deo; & tunc nihil volet homo, quod non etiam velit faciátque Deus. Tunc nihil poterit non sperare homo de Deo, tantúmque poterit homo, quantùm sperabit de Deo, & fiet per spem Dei omnipotens homo. Spes non sperat in se, nec sperans sperat in spe suâ, sed in

Deo per spem suam. Solidatur tamen spe sua, immò solidat spe spem suam: ita ut etiam in spem contra spem speret, & ex spe agat, & de Deo non hæsitet; sed tunc ubi nulla humana præsidia sunt, tunc quando Deus ipse quasi indormire negotio suo videtur, tunc quando collapsa omnia videntur, tunc quando jam adversarii causæ triumphos parant vel canunt, quando omnia impedimenta in flore sunt, quando nulla spei & sperandi ratio suppetit, tunc inquam speret; & vèl maximè speret, quia evidentissimum auxilii Divini affuturi indicium habet, quia Deum (omnia humana & creata auxilia, omnes industrias & vires conatúsque humanos, ut deficiant) exspectare videt, ut cùm defecerint omnia alia, constétque palàm defecisse, tunc exurgat, tunc manum admoveat, tunc dexteram suam in virtute magnificet, tunc Deo soli ab omnibus gloria sit, hominis autem faciem confusio, mentem confessio & suî humiliatio impleat & occupet.

Hi duo proximè explicati excessus spei rari admodum sunt, etiam inter perfectionem professos. Nam & rari sunt admodum, qui plenè conformes esse curent Dei voluntati, eámque in minimis, in obviis, in quotidianis ad unguem exequantur, solámque in exequendo intueantur. Quotus enim quisque est, qui in minimis maximus esse velit, & in ordinariis observationibus non ordinarius? quotusquisque est, cui (ùt de S. Bern: legimus) in ipsis communibus sit singularis puritas & devotio non communis, qui nihil negligens & minima quæque cum

cum studio & intentione tractet? quotusquisque est, qui voluntatem Dei amet faciátque non propter aliud, quàm propter ipsammet illam voluntatem, ejúsque dignitatem, & non propter suam aliquam (spiritualem etiam) utilitatem? quotusquisque est, qui placitum Dei metiatur non ex objecto sed ex ipso Dei placito? qui habet id, quod vult Deus, non ideo magnum putet, quia magnum in se est, sed quia, esto illud minimum & vilissimum sit in se, magna tamen est Dei voluntas, & placitum quo illud vult Deus. Quia ergo tales rari sunt, rari etiam sunt apti ad fiduciam & spem perfectam in Deum. pari ratione rari etiam sunt, qui ingenium auxiliantis Dei nôrint; rari, qui quantùm zelet ille in omnibus factis suis gloriam suam, sciunt. Rari sunt, qui opera Dei fideliter propter Dei gloriam tractent, & sibi vel post factum saltem, de facto & de gloria Dei auctâ non complaceant. Rari sunt, qui opera Dei à Sanctis in gloriam Dei parata, Deo, prout par est, & non hominibus ipsis tribuant, Deúmque defraudent; ideò etiam rari sunt, qui illam Dei cunctationem in adjuvando, vel in eo quod petitur, concedendo, convertant in spei contra spem materiam, & non potiùs in desperationis occasionem. Accedit, quòd plerique hujus spei contra spem occasiones nullas alias esse, quàm miraculosas quasdam & extraordinarias sibi imaginentur, inter manus autem & in quotidiana vita eas reperiri solere non credant vel non sciant. Quasi Deus miraculorum sit tantùm, quasi in minimis etiam non sit providentia. Atqui experti scimus,

Deum, in minutiſſimis occaſiunculis, voluntatem ſuorum ſervorum in ſuam providentiam abjectorum & voluntati ſuæ divinæ conſecratorum adimplere ſolere. Voluntatem dico, non ſolùm eam quam ipſi habent, ſed illam etiam quam non habent, ſed tantùm haberent, ſi occaſionem ejus habendæ ſcirent. Ex quo apparere debet perfectis viris; etiam in minutis, in obviis occaſionibus, actionibus, negotioſis orationum ad Deum cauſis, providentiam adeſſe, Deum glorificari velle, ſpei exercitium eſſe poſſe, etiam illius quæ eſt contra ſpem, dummodo adſint oculi. Dic mihi ô homo Religioſe, nunquámne petiiſti à Deo, tibi vel alteri aliquid, quod tamen non impetrâſti, etſi illud quod petebas, licitum, ſanctum, ad perfectionem, ad gloriam Dei conferebat, conſequentérque conforme Dei voluntati erat? Dic iterum mihi, ubi petitam rem non impetrâſti, nunquid in orando perſeverâſti. & non potiùs tanquam Deo non placeret poſtulatum, à poſtulando abſtinuiſti? ita eſt ſanè. Neque te reprehendo. dico tamen tibi, illam non impetrationem, illam Dei in te exaudiendo ſurditatem, vel potiùs tarditatem, occaſionem fuiſſe ſpei contra ſpem: pergendum fuiſſe in oratione, conformandam fuiſſe Dei voluntati tuam voluntatem: adhibenda tamen media ad expugnandum Deum; & ejus tarditatem in dando, non in deſperationis ac ceſſationis, ſed in ſpei atque exſpectationis & perſeverantiæ vertendam fuiſſe occaſionem. Et quoties in hoc cæcutimus noſmetipſi, qui iſta aliis tam ſcilicet diligenter commen-

damus

damus & exponimus! *Tu nôsti Domine Deus, Tu adjuva incredulitatem nostram.* Mar: 9. 23. *Et adauge nobis fidem fidelem, & doce nos orare.* Lucæ 17. 5. quia quid oremus, verè nos nescimus; quia fragiles sumus & cæcinati: sed ideo, ut manifestentur opera tua in nobis, & tu magnus glorificeris in nobis pusillis, *Nos autem confortemur per te, & omnia possimus in te.* Phil: 4. 13.

3. Virtus Caritas est, quæ amicitia Dei, affectio per omnia sancta; cujus solius laus est in scriptura, labor in Ecclesia, virtus in anima, pretium in opere, præmium in cœlo. *Hæc est charissima potissimùm, hæc nunquam excidit, hæc major omnibus virtutibus, hæc plenitudo legis.* Hæc est dilectum Christi testamentum atque præceptum. Hæc dos Ecclesiæ, hæc denique (quid enim multa congeram?) ipse Deus est. Non discerno caritatem Dei à caritate proximi, & à caritate sive amore cæterarum rerum: quia ejusdem est ac unius caritatis, amare Deum super omnia; & propter Deum, [atque ideo infra Deum] reliqua omnia.

Hæc virtus, soliditas est aliarum omnium, ipsa tamen etiam quandoque tenera & mollis, quandoque robustior & grandescens, quandoque solida, grandis, & perfecta, *quæ foras mittit omnem.* 1. Ioan: 4. (non tamen castum, quia hic ipsa caritas est) *sed omnem timorem* qui alius est à casto.

Hæc diligit Deum, sed neque causam, neque modum, neque præmium diligendi habet, verùm

eſt illi cauſa diligendi Deum, Deus: modus, ſine modo diligere. Amat, quia amat, amat ut amet: petitum amoris amor, præmium amor, finis amor; quocunque fertur, amore fertur; pondus ejus, amor ejus. Neſcit reverentiam, quia amor non veretur, licèt à reverentia amare didicit, & in amore profecit.

Hæc Charitas & amor, ſi eſt & ubi eſt, magna operatur; ſi operari renuit, amor non eſt: otium enim in caritate non eſt, quia caritas & amor negotium negotioſiſſimum eſt; & quia ſemper operatur, ſemper creſcit; ſemper ergo ſibi parvus videtur, & ideo ſemper major eſſe cupit; & hic eſt labor ejus, ex amando agere, ex agendo creſcere.

Perfectio caritatis eſt nulla cupiditas illa, quæ eſt amor ſuî, quæ eſt appretiatio ſuî, quæ ſe propter ſe quærit, quæ ad ſe omnia trahit, quæ etiam Deum præ ſe contemnit, quæ qualiacunque bona & commoda ad ſe ſe non minùs avarè, quàm ſuperbè, quàm injuſtè, quàm ingratè rapit, & eis vel ſibi vel irrationali rationi vel ſenſui indulget, quæ etiam in quærendo Deum ſe quærit, (alioqui non quæſitura niſi ſibi bonus eſſet) & nonniſi tunc quærit Deum, quando ſibi bonum putat: quando autem ſibi ſinè Deo meliùs eſſe apprehendit, omnia potiùs alia quàm Deum quærit & per hoc ſe finem Dei, majorem Deo, Deum Dei, abominationémque idoli facit. hæc inquam, cupiditas, ſi nulla eſt, & quando nulla eſt, tunc eſt perfecta caritas.

Quan-

Quantùm ergo vel servimus, vel adhuc obnoxii sumus cupiditati, tantùm adhuc deficimus, & caremus perfectâ caritate ; quantùm cupiditas nostra fervet in nobis, tantùm adhuc caritas tepet; quantùm adhuc jactamur cupiditate, tantùm adhuc non quiescimus in caritate. Vis caritatem perfectam? tolle omnem cupiditatem, quæ quidem, dum hìc vivimus, planè tolli non potest: attamen quantùm possumus, de ea in nobis mortificemus & tantundem in nobis caritatem, & nos caritate vivificemus. quod faciet passionum mortificatio, sensuum afflictio, naturæ se ubique quærentis persecutio, honoris abnegatio, humilitatis consectatio, patientiæ lucta, intentio pura, resignatio plena, de quibus omnibus sermo in sequentibus recurret aliquantus.

4. Virtus Humilitas est, de qua, quod dixi cons. 5. & alibi suprà sparsim, etiam pro hoc loco satìs est. Unum tamen pro hoc dicere necessarium est. Humilitas & humilis verus atque perfectus fugit omnem admirationem, fugit & declinat ab omni eo, quod illum potest facere apud alios mirabilem. Confusionem non fugere, est perfectio, sed [nisi ego fallor] imperfecti: mihi videtur, plus esse & majus, fugere admirationem ; cùm sæpè humilis, qui ex humilitate non fugit confusionem, idem ex elatione aut miretur ipse se, aut in admiratione se putet esse ob id, quòd eam non fugerit. Unde dico, quòd nunquam quisquam erit verè humilis, si humilitatem tanquam virtutem quæret, & non magìs tanquam justitiam, ex quâ illi contemptus

abjectióque ab omnibus ac in omnibus propter suã vilitatem malitiámque debeatur, & ipse humiliationem acceptet. Semper enim, cui humilitas inerit ùt virtus, vel erit, vel esse facilè poterit de humilitate atque humiliatione superbus, mirabitur se, æstimabit, complacebit, superbiet. Ex quo fonte superiùs, tam humilitatem, quàm omnem aliam virtutem, ut esset solida, volui esse humilem. Suadeo ergo, ut qui humilis esse vult, nolit esse humilis, sed contemptus & contemptus ex debito sibi contemptu. Nolit videri humilis, sed vilis; nec se cupiat humiliari, sed sibi deberi sciat, & debitum quærat contemptum. Hinc fiet, ut non se humilem miretur, sed se contemptum gaudeat; tanquam is, qui debitam sibi mercedem accepit, aut is, qui postquam luit pœnas culpæ, se evasisse metum contentus est. Sic persuasus fugiet admirationem, quisquis sectabitur humilitatem. Quam admirationis fugam egregiè docuit nos S. Petrus Apostolus, & Joannes, in illo miraculo claudi ad portam speciosam sanati: cùm enim hoc mirum esset populo, & ob id ad Apostolos stupens concurreret, videns id Petrus, dixit ad populum: *Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?* Act. 3. Simile exemplum est observatum vèl ab ipso Christo in Joanne Baptista, qui, cùm esset planè admirabilis, non tamen apud se fuit in admiratione, nec se pro Christo venditavit, licèt occasio illi daretur. Unde & à Christo inter alias laudes meruit audire: quòd non esset arundo vento agitata, agitantur

enim

enim, qui se mirantur, qui se mirabiles aliis videri gaudent & mirantur &c. Hanc quoque admirationis fugam summè, & meritò quidem, laudant in S. Bernardo, Scriptores vitæ ejus. Summum erat huic famulo Dei studium, fugere admirationem, & tanquam unum se se gerere cæterorum. Proverbium illud, in ore ei frequenter, semper in corde: qui hoc facit, quod nemo, mirantur omnes. Quo nimirum intuitu, vitam Regulámque communem, ampliùs æmulabatur; nihil in suis actibus præferens observantiæ singularis. Ob hoc denique cilicium, quod pluribus annis occultè gestaverat, ponere maluit, quàm ut ferre sciretur; minùs illum latere velle contestans, qui cum cæteris ejusdem professionis, sibi communia non sectatur. In ipsis tamen communibus erat illi singularis puritas (perfectionis) & devotio non communis. Ex cujus ejusdem Sancti vita referre, quod ad propositum præsens facit, non gravabor. Nam cùm Deus Sanctum illum, mirabilem facere cœpisset miraculis: non prætereundum, (ait scriptor vitæ ejus) quidnam ipse inter hæc animi gereret, qui à Christo humilitatem cordis & mansuetudinem didicisset. Disputans enim secum in cogitationibus suis, & ex ipsâ demum locutus abundantiâ cordis sui, domesticis quibusdam sibi fratribus Religiosis ajebat: Plurimùm miror, quidnam sibi hæc miracula velint, aut quid visum sit Deo talia actitare per talem. Nihil mihi videor in sacris paginis super hoc genere legisse signorum. Siquidem facta sunt aliquando signa, per Sanctos homines & perfectos

facta

facta ſunt, vel per fictos. Ego mihi nec perfectionis conſcius ſum nec fictionis. Scio enim Sanctorum mihi non ſuppetere merita, quæ miraculis illuſtrentur; confido autem, nec ad eorum ſortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur. Hæc & hujuſmodi crebriùs ſecretiúſque cum viris ſpiritualibus conferebat. Noviſſimè verò opportunùm ſibimet exitum viſus reperîſſe: Scio [inquit] hujuſmodi ſigna non ad ſanctitatem unius, ſed ad multorum ſpectare ſalutem; & Deum in homine, per quem talia operatur, non tam perfectionem conſiderare, quàm opinionem, ut in eo commendet hominibus, quæ illi creditur ineſſe, virtutem. Neque enim pro eis fiunt hæc, per quos fiunt; ſed pró eis, qui illa vident vel ſciunt. Nec eo fine per eos iſta Dominus operatur, ut ipſos probet cæteris ſanctiores; ſed ut cæteros magìs amatores, & æmulatores faciat ſanctitatis. Nihil ergo mihi & ſignis iſtis, quandoquidem meæ illa famæ magìs, quàm vitæ noverim exhiberi, nec ad meam fieri commendationem, ſed ad commonitionem potiùs aliorum. Satìs, nî fallimur, hujus viri mirabitur animum, quiſquis hoc diligenti conſideratione penſaverit; nec præſtantiùs reputabit æſtimator quiſque fidelis, ſigna aut prodigia mirabiliter operari, quàm perpetrata taliter interpretari. Qui ad effugandam, ab animo proprio, admirationis vanæque gloriæ peſtem, à S. Bernardo uſurpatus, non tantùm ad miraculorum, ſed ad quorumlibet mirabilium operum laudabiliúmque gloriam retundendam modus, humili perfectóque

viro

viro est usurpandus. Nam sive subtilitas affluat ingenii, atque claritas in scientiis, *sive quis sit potens verbo, & loquatur tanquam potestatem habens*, Lucæ 24. 19. faciátque multos converti ad Dominum Deum suum, sive in Confessionibus audiendis sint verba ejus ignita, & malleo similia contundenti petras; hæc similiáque admirationem parientia, consimili poterunt S. Bernardi humiliari veritate. Quo fiet, ut quis magnus sit, & tamen magnum se esse nesciat; & humilitas honorata ab omnibus, ignoret semetipsam, atque contemnat, & vincat sublimitatem nominis humilitas cordis; nec tam possit universus mundus hominem erigere, quàm ipse se dejicere solus. Summus licèt reputabitur ab omnibus, infimum tamen ipse se reputabit & quem sibi omnes, ipse se nemini præfert. Immò inter honores, laudes & favores hominum, in amicitiis sublimium quarumvis personarum, alterum sibi mutuatus videbitur hominem, se se autem qui est, reputabit velut absentem, velútque quoddem somnium aut comicum spectaculum reputabit. Ubi autem revertetur ad suos, ubi secreti sui cubicula, ab hominum tumultu subibit, ibi se ipse invenisse gaudebit & veluti ad propriam rediisse personam. Non oberit etiam, illud ex eodem S. Bernardo decerpere, & humilitatem solidam amantibus proponere, quod & aliis usitatum Sanctis novimus. Opera, sive miraculosè sive insigniter & laudabiliter facta, joco potiùs eludenda esse, & miratores laudatorésque eorum expediendos, quàm humilitate deprimenda. Quod fa-

ctum

ctum à Sancto cùm ejus vitæ autor retulisset, hæc deinde subdit. Noverat siquidem verus & verax non ostentator, sed æmulator humilitatis, efficaciùs dissuaderi posse hominibus quod stupebant, obliquâ quadam & artificiosa objectione, quàm apertâ excusatione, quæ humilitatem magìs prædicabilem præferendo, existimationem non minueret hominum, sed augeret. Hoc est ingenium solidæ humilitatis : hæc ratio admirationem declinandi : hanc imitetur & teneat solidus amator : & à Deo simpliciter ac veraciter petat, ut eum faciat Sanctum, sed non mirabilem suum servum.

5. Virtus est Patientia. Ex adversis compositi aut oppositi potiùs sumus; in eo mundo vivimus, in quo omnia ex contrariis, ex pugnantibus, ex victis ac vincentibus, ex agentibus ac patientibus constant. Quomodo igitur aut evadere possùmus quod patiamur, aut sperare ne patiamur? Tam est necesse hominem pati, quàm & hominem & in hoc mundo esse. Extra mundum eat, qui non pati desiderat. Nam dum hìc est, in universitate & mundo patientiæ est; ac proinde & ipsi cum tota, imò & à tota universitate mundi patiendum est. O quantâ ergo homini, & quàm solidâ talaríque patientiæ virtuosæ togâ opus est, cui tantum patiendi mare perpetuò natandum est! cui, quòcunque sese tandem verterit, inter incudem & malleum passionis hærendum est. Et tamen nondum hoc homini ad solidam patientiam sufficit, ut patiatur ab omnibus; requiritur, ut etiam patiatur à se ipso, ut

ut ipse sibi incus, ipse malleus, ipse agens, ipse passum sit, & hoc quidem per totam vitam.

Volo dicere: Tam necesse est hic hominem pati, quàm vivere: sed pati potest homo aut ægrè & nolens & hæc impatientia, sive impatiens patientia est; aut modestè & volens, & hæc demum virtus patientia est. Impatiens illa patientia, duplicata vel potiùs multipliciter aucta molestia est. Patiens & modesta patientia, simplex & ea quidem multùm diminuta molestia, ac quandoque nec molestia sed lætitia est. Pati homo potest & debet, tam à se quàm ab altero. A se patitur carnis & spiritûs rebellionem, carnis per spiritum mortificationem, inferioris partis per Superiorem, Superioris etiam per fidem & humilitatem, carnis infirmitatem, &c. Ab alio patitur triplex patientiæ genus sive molestiæ, videlicet vel verborum injurias, vel damna rerum, vel corporis læsionem, & hæc quidem ab homine, à cæteris rebus consimilia: à Dæmone insuper tentationem: à Deo & Angelo, nostræ voluntati contrariam Dei voluntatem. In his omnibus verus patiens servare debet patientiam, silentium, modestiam, humilitatem, indifferentiam, resignationem, caritatem, constantiam, lætitiam, desiderium, perseverantiam, innocentiam, aut certè confessionem seu veritatem. Quot ex his conditionibus caret patientia, totidem abest gradibus à soliditate suâ. Post quæ omnia adhuc noverit patientiæ suæ aliquid defuturum, illud nempe, ut semper aliquid, si non ab aliis, saltem à semetipso pa-

patiatur. Sicut animal ſemper indiget aëre quem ſpiret, ita homo ſemper indigèt, quod patiatur; ſi non patiatur, corrumpitur: ſicut caro ſinè ſale putreſcit. Semper ergo patere ô Religioſe, ſi non vis putreſcere; nec deerit tibi vel materia, vel modus patiendi, modò non deſit voluntas & diligentia inquirendi, aut potiùs temet affligendi. Quòd ſi quiſpiam ita delicatus ſit, ut non pati cupiat, & quomodo neceſſitatem materiámque patiendi evadat, nôſſe appetat, huic ne planè ſpem præſcindam, unicum ſupereſſe nihil patiendi modum ſuggero, qui eſt, cum Dei voluntate conformem per omnia eſſe. Conformitas hæc faciet, ut non tantùm nihil patiatur, ſed ut nec poſſit etiam pati quidquam. Quod ita paucis expono. Patientia eſt adverſorum, hæc enim patimur, quæ ſunt adverſùm nos. Illa porrò adverſantur nobis, quæ voluntati ſunt adverſa noſtræ qualicunque. Quidquid ergo accidit adverſum voluntati noſtræ, ſeu quod nollet voluntas noſtra, illud dicimur pati. Nam ſi quid accidit nobis, quod accidere volumus, hoc ſanè pati nec poſſumus, nec dici debemus. Ex quo patet, omnem patiendi originem atque neceſſitatem in nobis eſſe à voluntate noſtra. Jam ſi quis voluntatem ſuam ableget à ſe, ita ut nihil velit, nihil non velit, ſed eſſe totum Dei voluntati permittat & hoc ſolum, quod illa vult, velit, quod illa non vult nolit, conſequens eſt, ut nihil unquam pati poſſit: quippe illi nihil accidit unquam, quod accidere nolit; & nihil non accidet, quod accidere velit. Cui autem nihil accidit, quod non vult, & nihil non

non accidit, quod vult, is quod patiatur, non habet: quia omnia quæ vult, habet, & omnia quæ non vult, non habet; omnia, quæ habet, vult, & omnia, quæ non habet, non vult. Talis autem est omnis, qui voluntatem suam cum Dei voluntate conformavit: hâc enim voluntate conformatâ, nihil vult, nisi quod vult Deus; nihil non vult, nisi quod non vult Deus; & nihil sibi vult, nihílque non vult, nisi quod etiam illi vult aut non vult Deus; itáque quidquid homini accidit, hoc accidere sibi tam vult homo, quàm vult Deus; & quidquid homini non accidit, hoc non accidere sibi tam vult homo quàm vult Deus. Nihil igitur potest pati unquam adversi homo, quisquis ita voluntatem suam unit divinæ, ut nihil unquam velit ac nolit, nisi quod vult ac non vult Deus.

Hæc qui legit, intelligat: & fructum perfectæ resignationis vèl ex his cognoscens, ad impatibilitatem impatientiámque istam, omni patientiâ perfectiorem, aspiret; beatitudinémque cœlestem, in hac adhuc vita, possidere adlaboret. Neque nos hæc deterreant: quia nec incognita SS. Patribus perfectionísque magistris, suademus, nec impossibilia sunt, quæ proponimus, sed ùt aliàs etiam diximus, sapientiam loquimur inter perfectos; & quia de solida virtute tractamus, solida etiam loquimur, spiritualibus spiritualia comparantes, & adhuc perfectiorem viam cum Apostolo demonstrantes: *ut æmulemur charismata meliora.*

CONSIDERATIO XVIII.

De resignationis, fervoris, efficacitatis, perseverantiæ soliditate.

QUatuor, quæ in hac Consideratione veniunt consideranda, non solùm virtutes sunt, sed etiam aliarum reliquarum virtutum solidationes. Quare etsi fortè in earum descriptione erimus adstrictiores, in earum tamen praxi, viri spirituales atque perfecti, debent esse quàm prolixissimi.

Et de Resignatione quidem neque uno loco, neque levia, neque pauca prædicta sunt, ut vix aliquid addere necesse sit in præsenti; maximè cùm hac de re alibi, non semel etiam tractatum sit. Nonnulla tamen hìc expendisse, operæ pretium erit.

Resignatio, & conformitas cum Dei voluntate, & indifferentia idem sunt, & idem diversis nominibus significant. Hæc virtus tam necessaria est, quàm nulla super illam. Quippe etiam caritas non est aliud quàm conformitas hæc. Amare enim Deum, est Deo bene velle. Bene velle Deo, est hoc velle Deo, quod Deus vult; qui quidquid vult, sibi & propter se ipsum vult. Velle quod vult Deus, est habere voluntatem cum Divina conformem. Conformitas igitur caritas est. Hæc Virtus est in omni

virtute, immò in omni actione, neceſſaria, ut bona ſit. Hæc virtus etiam in laude & caritate & ſervitio Dei neceſſaria eſt, ut nec plùs, nec aliter, nec aliis viis occaſionibúſque velimus Deum laudare, amare, colere, quàm quibus vult Deus. Hæc virtus etiam ad ſeipſam neceſſaria eſt, ideo enim debemus conformare nos voluntati Dei, quia vult Deus; nec ſervire debemus Deo, voluntatíve Dei, niſi ad voluntatem Dei.

Hæc conformitas cum voluntate Dei, tam arcta & firma eſſe debet, ut faciat hominem non poſſe aliud velle vel nolle, quàm quod vult vel non vult Deus; & quidem ideo, quia vult & non vult Deus. Hæc conformitas ita abſorbet voluntatem noſtram in divinam, ut quodammodo tranſeat in ipſam, non ſubſtantialiter quidem [quia hoc eſt impoſſibile] ſed tamen unitivè. Quomodo aërem iſtum ita penetrat lux ſolis, ut aër lux eſſe videatur; quomodo ignis penetrat ferrum, ut ferrum ignis eſſe videatur; quomodo ingens vas vini abſorbet guttam aquæ, ut aqua in vinum tranſiſſe videatur: ſic etiam voluntas hominis, conformitate & conformandi aſſiduitate, ſic tranſit in divinam, ut penè ipſa divina eſſe videatur, (quò fit, ut in ea ſpes & fiducia illa, de qua ſuprà egimus, fundetur.) Unde etiam ſic eandem noſtram voluntatem exaltat, ut ſicut illa in divinam, ſic viciſſim divina in illam commutetur: adeò ut Dei voluntas in poteſtatem & regimen, arbitriúmque ſe tradat voluntati humanæ, ſibi conformatæ, ſerviátque illi, ut jam non ſeipſam, *ſed voluntatem timentium ſe facere dicatur*. Nempe

per hanc conformitatem, uſque adeò purificatur & dignificatur voluntas humana (& quidnî dignificetur; cùm ſit conformata divinæ, quâ nihil eſt dignius?)ut non dedeceat Deum,hoc velle, quod voluntas humana vult. Et ſanè non poteſt dedecere, ſiquidem voluntas humana nec ſcit, nec vult, nec poteſt aliud velle , quàm quod voluntas divina vult. Ita ergo miro modo & voluntas divina humanam facit ſuam, & humana divinam. Quæ quidem res tanta eſt , ut ad hanc ſolam [quod aliàs dixi] omnis vitæ ſpiritualis labor collimet: tanta eſt, ut niſi quis ad eam ſive in hac, ſive in alterâ vitâ pervenerit, ad Deum facie ad faciem non ſit admittendus videndum. neque quidquam in nobis, ſeu dum vivimus, ſeu dum morimur, ſeu dum in purgatorii pœnis detinemur, Deus expurgat, quàm irreſignationem, ſeu non plenam cum ſua Sanctisſima voluntate conformitatem , aut hujus conformitatis impedimentum ; à quibus, dum expurgamur,rectà in cœlum convolamus,quoniam mundo corde eſſe invenimur. Mundum autem cor Deum videt : quid autem illo corde mundius, quod eſt cum ipſius Dei corde unum, & cui cordi divinum cor non dedecet conformari & uniri?

Denique tanta res hæc eſt , ut cœleſtis gloria Beatitudóque aliud non ſit, quàm hæc voluntatum noſtrarum in Deum abſorptio & transfuſio æterna : quæ hìc ex parte inchoatur & deguſtatur, ibi autem conſummatur, & æternitate ipsâ terminatur.

Et quis nolit hanc Beatitudininis participationem in hac vita præcipere? nullus certè qui ſapit.

Sed

Sed quis sapiens & intelliget hæc? Gens absque consilio est, nec in sæculo tantùm, sed etiam in Religionibus ipsis; etiam inter eos, qui perfecti esse, sibi & aliis videntur. Abscondita hæc sunt ab oculis eorum, & nec capere, nec experiri dignantur; peregrinum, nescio, quid metuunt in hoc genere scientiæ atque exercitii: quia perfecta sectari, & perfectionem possidere periculosum sit, & non magìs hærere in propriæ voluntatis dumetis, servire propriis designationibus, humanis rationibus regi, abundare in suo sensu sit periculosum, quia tepidorum proprium.

Hujus conformitatis jugum nemo potest excutere, sed sive velit, sive nolit, debet divinæ voluntati subesse. Dei enim voluntas, absoluta Domina & Regina omnium est; in cujus ditione cuncta sunt posita, & nemo ejus potest resistere potestati ac ordinationi. Quidquid illa vult, fit: quidquid non vult, non fit: adeò ut nullum sit verius signum, quòd aliquid voluerit fieri Deus, quàm hoc, quia factum est: invito enim, inscio, nolente Deo, factum non est. Quare etiam ii, qui resistunt voluntati Dei, non resistunt revera, sed potiùs obsequuntur; resistunt tamen in suâ improbâ voluntate, ob quam etiam puniuntur. Item etiam ii, qui impediunt Dei voluntatem ne fiat, non impediunt, nisi volentem impediri, & non fieri: immò non impediunt sed promovent, atque adeò perficiunt. Illa enim ipsa, quæ hoc vel illud voluit fieri, voluit etiam (ne fieret) in eo ipso ab his impediri; quod & factum est, sed ad facientium, hoc est, impedientium pœ-

nam, quia impediverunt, non ut per hoc servirent Dei voluntati, sed potiùs ut obsisterent ejus potestati. Miro itaque modo (ait Bern. ep. 11. in medio) æterna lex fugitivum suum & posuit sibi contrarium, & retinuit subjectum, dum videlicet nec justitiæ pro meritis legem evasit, nec tamen cum Deo in sua luce, in sua requie, in sua gloria remansit: subjectus potestati, submotus felicitati. Suspicabantur fratres Josephi; quòd ipsis esset futurus Joseph Dominus: id à Deo per somnia præsignari audiebant, metuebant, impedire laborabant, sed quomodo? ipso impediendi conatu promoverunt consilium Dei, nam ex suo vendiderunt fratrem, ne dominaretur; ex divino autem vendiderunt, ut dominaretur. Ita ergo malitia fratrum servivit Dei voluntati per hoc ipsum, per quod conabatur contraire Dei voluntati; propter quod & illi se non subduxit, & ut mala punitáque fuit. Atque non aliter contingit in omni peccatore: qui dum non vult facere unam Dei voluntatem, sibi ad salutem; facit peccando, alteram, ad damnationē. Insaniunt ergo, quicunque jugum divinæ voluntatis excutere conantur: nam per ipsum excutiendi conatum illi eidem subjugantur, sed subjugantur inviti, propтereáque perversi ad pœnam; qui nolunt volentes, proptereáque recti, subjugari ad vitam. Vita namque in voluntate ejus, sicut mors in contemptu voluntatis ejus. Ex quibus omnibus concludat perfectus, conformationem cum Dei voluntate, talem esse virtutem, ut nulla sit ei similis. Nemo potest illâ carere: tam bonus quàm mà-

malus habet illam necessariò, quia necessariò subditur quisque eorum Dei voluntatis arbitrio: sed qui eam habet volens, hic bonus est, & ei virtus est; qui eam habet nolens, hic malus est, & ei peccatum est. Eliget ergo qui sapit, conformari Dei voluntati, per omnia & semper, volendo, ne cogatur conformari nolendo. Voluntaria enim conformitas, erit omnis & consummata sanctitas. Voluntaria verò difformitas, & coacta conformitas, erit omnis & consummata impietas. Et hinc etiam advertant illi, qui hujus conformitatis studium suspectum habent, quòd illud non suspectum habere, sed suspicere debeant; non contemnere sed commendare, non negligere, sed affectare & exercere teneantur: ne & ipsi, dum ei conformationi studere sponte ad salutem negligunt, per hanc ipsam negligentiam in eo studio, ignari & coacti exerceantur, non dico ad damnationem, dico tamen, ad tardam salutem & perfectionem.

Fervor spiritûs, est jugis proficiendi in virtute conatus, cui semper modicum videtur id, quod habet, id, quod facit; & ideo semper aliud (quàm est habet & facit) appetit, ad ulterioráque se se extendit, quod nisi faciat, continuò deficere, id est, fervor non esse incipit. Sicut enim ignis nunquam contentus est hoc comburere quod comburit, sed perpetuò vicinam in materiam transit, & eam in se se rapit; quàm primùm non habet, quò transeat aut in quod agat, & quod in se transmutet, statim etiam deficere incipit: sic & fervor spi-

ritûs noſtri, aut ſemper proficit, aut certè quàm primùm non proficere, ſtatim deficere incipit; adeò, ut ipſum non proficere, ſit illi deficere. Sic naviganti contra impetum fluvii, hoc ipſum eſt deſcendere cum fluvio, quod eſt non aſcendere contra flumen: ubi enim deſinit contra flumen pergere conari, ibi ſtatim rapitur deorſum cum flumine, etiamſi ille nihil ad deſcenſum ſuum collaboret. Sed ſatìs hoc ipſo collaborat ire deorſum, quia non conatur ire ſurſum. Sic ergo etiam ſatìs hic facit ad deficiendum in ſpiritu, qui ne deficiat, non impedit proficiendi conatu. Per hoc enim ipſum, quòd non proficit, aliquid utique in quo proficere potuit, perdit: quòd ſi perdit aliquid, igitur deficit, in hoc ſaltem quod perdidit. Quis verò poteſt aſſerere, ſe modicum quid perdidiſſe tunc, quando licet potuit, non profecit? quis menſus eſt gratiam illam, quam neglexit, ſed Divina voluntas providerat ſecuturam, ſi non neglexiſſet profeciſſe? Et quia res hæc maximi eſt in vita ſpirituali momenti, operæ pretium eſt, eam adhuc pauliſper perpendere. Igitur ſi in viâ Dei, non progredi eſt regredi, (utì & vidimus, & vulgò Sanctorum ſenſus eſt) igitur non progredi uno die in viâ Dei, eſt regredi uno die, & non progredi duobus diebus eſt regredi duobus diebus, & non progredi uno anno, eſt regredi uno anno, & non progredi multis annis, eſt retrogredi multis annis. Et quid mirum nobis eſſe ſolet, multos ad ſeculum regredi, qui bene in Tyrocinio verſati fuerant? Biennio Tyrocinii progreſſi ſunt, poſtea per biennium

nium sunt non progressi, & fortè per aliud, igitur per illa omnia biennia sunt retrogressi, igitur usque ad portam, qua ingressi fuerant, sunt regressi, tandémque & egressi: quare? quia non progredi, est regredi. Atque etiam hinc est illud quod videmus crebrò, antiquos Religiosos esse deteriores Tyronibus, etiam seipsis dum Tyrones erant. Homo dum carnaliter nascitur, nascitur minutus; sensim tamen crescit in virum. Homo spiritualis contrà, nascitur magnus dum nascitur, postea sensim decrescit, ita ut ex magno fiat minutulus, & 100. annorum licèt, puer tamen moriatur. Cur ita? quia non est progressus, ideo regressus, ex magno factus est parvus. Quia ergo raró fit, ut veterani Religiosi progrediantur, necesse est regrediantur, & pejores Tyronibus, pejores suo ipsorum tyrocinio inveniantur. Ex quo fit, ut optandum sit Religiosis, tanto cum spiritu saltem mori, cum quanto Religioni sunt nati. Fit etiam, ut oporteat, Religiosum & solidum in virtute hominem semper progredi, semper ad ulteriora conari. Quam ob causam verè solidus Religiosus, semper vult fervere, semper vult in fervore crescere, nescit minutos profectus vocare, nescit nôsse, quia omnes maximi tenetur æstimare, & ideo nullus ei parvus, nullus negligendus occurrit; alioqui nec solidus ille Religiosus, neque spiritus ejus fervens erit. Superbi spiritûs est, non ferventis, magna lucra expectando, modica negligere; ferventis est, modica lucrando, ad majora se idoneum & capacem facere: *qui enim in modico fidelis est, super multa me-*

 retur

retur conſtitui. Matth: 25. 23. &c. Fervens ſpiritus modica lucra fervore adæquat maximis ; & ideo non exſpectat maxima: tepidus verò ſpiritus, magna ſcilicet lucra exſpectat, ne cogatur multum laborare, ſeu fervere; unde etiam tepiditate ſua, quæ poterant eſſe per fervorem maxima, facit vix minimis comparanda. Sicut enim unus actus fervens, pro multis remiſſis facit ; ita contrà multi actus tepidi, unum ferventem non adæquant. Sed neque tepiditatis mala, neque ferventis ſpiritûs bona enumerandi, finis hìc. Fervoris Spiritûs ſoliditas non eſt alia quàm ſemper fervere: Sicut fluvii hæc eſt natura, fluere ſemper & currere ; ignis hæc eſt natura, ſemper agere; motûs natura, ſemper moveri aut movere. Fervor enim ſpiritûs, fluvius eſt. hæc imitetur, ut ſit id quod eſt.

Efficacia ſuo ipſius nomine declarat, quid ſit: ab efficiendo dicta eſt: facere enim facit, in quo eſt. Hæc eſt virtutis vita, quia virtuti, in actione omnis eſt vita. Nec quiſquam virtutem quærit aut habet ob aliud, niſi ut agat; cùm virtus non agens, non ſit virtus, ſed optimum in virtute ſit operatio ſive opus, perinde ùt in nuce optimum eſt nucleus. Actio ergo, operatio, efficacia, virtutis eſt nucleus, vita, finis, optimum. Proinde ſi deſit efficacia, deeſt in virtute, quod eſt optimum ; cortex eſt, nucleus non eſt. Religioſis præſertim perfectioribus nihil eſt æquè vitandum ac inefficacia, quâ rarus non laborat. Quis eſt enim perfectorum, qui omnia quæ ſcit, facit, qui omnia, ea perfectione, qua ſcit aut poteſt, facit? qui eo conatu, quo

ſcit

ſcit vel poteſt, omnia facit? qui tam perfectè omnia facit quæ facit, quàm facienda ſcit? qui intellectum affectu, affectum effectu aſſequatur? qui pro menſura gratiæ ipſi communicatæ, devotioni quærendæ & meritis parandis, & virtutibus perficiendis inſiſtat? qui, uno verbo, nihil negligat, ſed pro menſura gratiæ, pro menſura habitûs operetur? Et tamen habitibus perfectiores actus ut ſint, ſi mereri debent, nonnulli requirunt: quod ſi falſum eſt, autoribus relinquimus, zelum tamen commendamus: & ut hoc non requiratur quod dicunt, poſſibile tamen eſt, perfectiores ac intenſiores habitibus actus eſſe, & quotus eſt ex perfectis, qui curat eſſe? Ergo rarus eſt etiam perfectorum, qui inefficaciæ morbo non laboret; qui morbus partim eſt innatus defectuoſitati humanæ, partim negligentiæ ac tepori familiaris. Vir fervens ac ſolidus, ſemper ea, quæ facienda ſunt cogitat: cogitata autem efficere curat, & à Deo frequenter juxtà ac inſtanter poſtulare non ceſſat, ut ſciat, velit, poſſit, faciat voluntatem Dei. Religioſi enim rari ſunt, præſertim in Societate, qui peccent inſciâ vel impotentiâ faciendorum: at frequentiſſimi qui defectu voluntatis efficacis peccent. Rari ſunt item, qui ab hoc genere peccati ſe extricare ſciant, rariores qui curent. De die in diem differunt, & per hoc neſciunt, quòd quotidie ſibi difficiliorem efficaciam reddunt. differendo namque inſuefaciunt ſe negligentiæ, cujus conſuetudo tantò difficiliùs expugnatur, quantò longiori dilatione roborabatur. Finem faciam de hac efficacia, ſi dixero, efficaciæ

ipſi

ipſi neceſſariam eſſe efficaciam. hoc eſt: actiones noſtræ non tantùm actiones ſint qualeſcunque ſed ſint activæ, ſint vivæ,ſint efficaces, & intenſionem vehementiámque habentes, quam fervor ſpiritûs facit: quia fervor ignis eſt, ignis autem eſt omnium elementorum activiſſimum, ita & fervor omnium virtutum activiſſimus. Sicut flos ignis maximè agit, ita fervor,qui eſt flos caritatis,maximè & ſtrenuiſſimè operatur. Fervor ergo efficaciam,efficacia fervorem nutriat & ſolidet.

Perſeverantia, virtutum ſumma, portus, corona, finis, præmium. Utinam eſſet etiam earum meritum! ſed non cadit in meritum, adeò pretioſum eſt iſtud Deo donum. Et quod eſt perſeverantiæ obtinendæ medium, quando ad eam neque omnes virtutes ſufficiunt? Gratia eſt Dei, medium perſeverandi. huic blandiantur qui perſeverare in omni bono meditantur; illam exaltent, qui iſtam ambiünt, in manu gratiæ perſeverantia eſt: gratiam apprehende, ut te coronet. Faciliùs habemus, quid nobis auferat perſeverantiam, quàm quid conferat. Nam ſuperbia (illa præſertim quæ ex conſcientia boni naſcitur, quam David timuit Pſ. 55. 3. Ab altitudine diei timebo:) & ſecuritas & tepiditas, ad non perſeverandum viam ſternunt. Quàm firmus ſtetit Angelus in cœlo, David in ſolario, Petrus in Pontificis atrio! illum tamen ſuperbia, hunc ſecuritas, iſtum dejecit tepiditas,*quia ſequebatur à longe & frigebat*. Elationem, ſecuritatem, & illi ſororem, tepiditatem, fuge, qui non perſeverare times, Quòd ſi hæc faciunt non per-

severare,ergo opposita his facient nostra ex parte aliquomodo nos perseverare. Humilitas cordis, timor Dei, fervor caritatis operantis & nunquam cessantis, faciunt perseverare. Quis enim corruet, si jam in humilitatis fundo jacet? Quis securus aut otiosus erit,qui Deum timet,& timendo nihil negligit? Quis non perseverabit in bono, qui ex fervore caritatis operatur bonum,&nunquã cessat instanter operari? Utique diligentem se Deus non abjiciet, alioqui quem retinebit? & *qui otiosos vocat ad laborem*, ut habeat, unde illis solvat mercedem; *quomodo, qui sustinent pondus diei & æstus, sine mercede divinâ expediet*? denique *qui humilibus dat gratiam*, quomodo ab iis auferet perseverantiam? *humiles spiritu salvabit Deus, & beatus est qui semper pavidus. Beati quoque servi illi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes: Beatæ illæ Virgines, quas cùm venit sponsus, invenit paratas cum lampadibus ornatis*, & copioso oleo instructis atque succensis: has enim secum deducet ad nuptias. His ergo omnibus insistat, qui perseverare cupit: super omnia autem, gratiæ Dei aduletur, adhæreat, innitatur,fidat, cooperetur. adhæreat ut teneat;aduletur, ut placeat; innitatur, ut teneatur; fidat,ut juvetur;cooperetur, ut operetur, & in operando conseruetur;gratias agat, ut in eo gratia multiplicetur & confirmetur.

DIES

DIES VII.

De his quæ in nobis emolliunt virtutis soliditatem. Horum est. 1. Cura carnis & ad externa effusio mentis. 2. Contemptus minimorum. 3. Tentationes, & neglectus utendi virtute.

CONSIDERATIO XIX.

Quòd solida virtus enervetur curâ carnis & effusione ad externa,

NOn est satis ad solidam de solida virtute cognitionem habendam, nôsse quid sit, quæ sint ejus species, quibus paretur instrumentis ac mediis; nisi etiam advertatur, quibus eandem emolliri, enervari, ac etiam deperdi contingat. De hoc ergo in sequentibus considerabimus.

Loquendo itaque universaliter, his omnibus enervatur soliditas virtutis, quibus confirmatur obstinatio vitii: cùm enim contrariorum contraria sint ingenia, contraria remedia, contraria disciplina, virtúsque vitio sit contraria; opus est, ut quod vitio conducit confirmando, hoc faciat ad virtutem evertendam; & quod conducit ad virtutem solidandam, per hoc, vitium infirmetur. Et quia vitia confirmantur variis modis,

ctis, ideo etiam virtutes variis rationibus enervantur.

Enervatur virtus primò curâ carnis, curâ commodorum ſenſualium, molli delicatáque veſtitione, molli lecto, longo ſomno, largo & delicato ſelectóque cibo & potu; declinatione æſtûs, frigogoris, venti, pluviarum; fuga laboris & fatigationis; oblectatione ſenſuum externorum, viſûs, tactûs, odoratûs; auditûs, guſtûs, colloquiis lepidis, feſtivis, ludicris; riſu & cachinnis, converſatione facetâ, recreationibus, otio. Et ratio eſt: quia cùm hæc omnia carnem nutriant foveántque, conſequenter vitiis ſuffragentur, ideo impoſſibile eſt, ut ſpiritum, ut virtutem, ut perfectionem iſta non enervent, non pervertant, non peſſundent. Horum ergo omnium hoſtis erit, qui ſolidæ virtutis cupidus erit. Neque ſolùm iſtorum hoſtis & fugitans atque parcus, & niſi ſtrictam ad neceſſitatem in eis ſibi indulgens, ſed etiam omnia his contraria (diſcretionis moderamine regulata) carni ſuæ ſenſuíque inferet, & inferet non interdum, ſed aſſiduò ſed jugiter, ita ut quòad fieri poterit, nullo momento temporis permittat carnem & ſenſus ſuos vacare à ſenſu alicujus moleſtiæ vel doloris. Dolor enim ſensûs, eſt conſolatio rationis: infirmitas carnis, eſt ſanitas animæ: mors ſenſualitatis, eſt vita ſpiritûs. Qui Sanctorum vel doctrinas vel vitas legerit, hanc in eis doctrinam nec aliam videbit: audiet illos clamantes. *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam: mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram: propter Te*

morti-

mortificamur totâ die, *æstimati sumus sicut oves occisionis*. Virum spiritualem oportet mori in diem 24. vicibus, & alia infinita magìs factis quàm verbis à Sanctis expressa. Amator ergo virtutis, hostis erit commodorum carnis, & neque sub prætextu necessitatis permittat carni gustum voluptatis. Hunc enim, inter alia, scopulum nôsse & vitare debet perfectus, quòd sæpè, mortificata caro, deficere se mentiatur, & compassionem hominis super se moveat, ut non affligatur: in quo solidus qui est, erit & discretus, atque ita vigilanter attendet, an caro sua veram exigat necessitatem, verámque patiatur infirmitatem, an verò sub pallio infirmitatis ambiat voluptatem, aut non necessariam quietem. Sciant autem perfecti, se potissimùm hoc genere compassionis super carnem suam solere tentari, quia cùm ordinariè ætate provecti & laboribus fracti sint, facillimè in eis caro sua sicut veram infirmitatem ac necessitatem habere, ita sub hujus prætextu ac occasicne non necessariam indulgentiam potest & solet prætendere. Quibus viris, ut ab hoc scopulo, & qua ratione sibi caveant, non dicimus, quia cùm eos perfectos & purgatum habentes mentis sensum præsumamus, doctrina nostra longiore, aut cohortatione minùs indigere credimus.

Enervatur spiritus effusione ad externa, non jam dico commoda, sed negotia: furantur enim hæc sibi hominem & ab illo ipso abducunt, atque prout ipsa inter sese, unum ex alio surgunt invicémque nectuntur & trahuntur, sic animum ho-

minis

minis ita distinent; ut ab uno ad aliud impellant. spe illum finis & exitûs in uno negotio tam apparentis lactant, & interim ex insidiis nova plura erumpentià eum invadunt, atque post se abducunt, & apud se illaqueatum tenent. Quod si contingit etiam illis, qui ad negotia parci, circumspecti, nec toti accedunt, quid putamus evenire iis, qui se totos in eadem effundunt iisdémque demergunt, ac insuper demergi oblectantur, & demersionem illam suam infelicem, etiam zeli animarum specie honestare, sibíque & aliis venditare non erubescunt.

Nolo perfectum virum sibi soli vivere (nisi hoc ejus sit instituti) nolo ab aliorum commodis spiritualibus curandis abstinere : sed tamen nolo etiam sic ab eodem ista curari, ut eum contingat animæ suæ detrimentum pati; & cùm aliis prædicaverit, *ipsum velut æs sonans & tympanum tinniens & reprobum à Deo fieri.* Concham se exhibeat, non canalem ; & de eo aliis fundat, quod ipsi de plenitudine sua superfluit. Non eum ita zelus domûs Divinæ comedat, ut etiam perdat : an non enim & ipse pars est domus ejus ? *Sic ergo zelet Dei domum, ut zelet omnino totam.* si zelaverit totam, non negliget, neque perdet, sed curabit & servabit etiam animam suam. Primò ergo ad zelum accessurus homo, ad animas tantùm zelandas accedat, non autem negotia etiam secularia ; *quia nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Non placent mihi illi zelatores animarum, qui eo ipso quòd dirigant animas, jam & pascere corpo-

ra, & ornare membra, & regere familias, & litibus assistere & patronos agere, & factores esse, de bonis temporalibus disponere, & liberis prospicere non erubescunt. Quid enim zelo, & curis istis? quid negotiis animæ cum difficultatibus istis? *Posuerunt te custodem in vineis, nescio qui, respectus, vineam verò tuam non custodisti.* Nam tales, rarò perfectos faciunt pænitentes suos, sed solùm ipsi eorum servi fiunt, quia ab eis oblectamenta carnis suæ interdum accipiunt. Deinde ad zelum accessurus, nolo ut accedas, nisi vocatus à Deo tanquam Aaron aut Samuel. *Nam quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Sunt enim non rarò, sunt qui zelum Dei habent, qui zelant quodammodo pro Deo, sed non ex Deo. Zelant priùs quàm ad zelum exponantur; zelant, quando aliis, quæ cum zelo non stant, ab obedientia distinentur: & primò quidem parcè in zelum intrant, nec se occupationi suæ impositæ sibi subducunt: deinde largiùs zelant, & occupationi suæ à se satisfieri: cum zelo, commodè posse ostentant; tandem toti in zelum præposterum rapiuntur, occupationem vel magìs obedientiam negligunt, aut perfunctoriè cum damno suo, cum damno multorum, cum fraude & dolore Religionis obeunt, nec moniti aut instructi cessant, sed monitionem aut ab invidia, aut à zeli inopia proficisci murmurant; zelum suum, laboréſque suos, quos nec Deus, nec obedientia ab eorum manibus requisivit, propriæ suæ voluntatis idolo immolant; & inter alios fructus, fractas vires corporis, inutilem ad labores Religionis valetudinem,
com-

commoditatum carnis indigentiam & exigentiam, faſtidium zeli etiam ordinati ac imperati, reportant.

Præterea ad zelum acceſſurus, vel zelo jam traditus, non plùs, non plures zela, quàm occupatio tua & vita diſciplináque patitur Religioſa. Zelum, qui diſciplinam te frangere, aut extra illam te eſſe jubet, non laudo, non ſuadeo. Contingere poteſt neceſſitas, quæ legem non recipit: fateor, ſed ut neceſſitas in conſuetudinem vergat, hoc permittendum non puto. Non laudo zelum, toto die à mane ad noctem zelantem, garrientem, concurſantem, negotia tractantem, domos obeuntem, non cum aliis ſurgentem, non cum aliis orantem, non cum aliis ordine ſuo ſacrum dicentem, non cum aliis ad ſomnum ſe ſe conferentem, non congruis horis Canonicas horas dicentem, concionéſve parantem, nunquam legentem pia & profutura propriæ animæ, nunquam legentem docta & profutura ſcientiæ, nunquam legentem dogmatica & profutura aliorum redarguitioni aut doctrinæ. Non laudo zelum qui ita obrutus eſt, ut vix apud ſe ſit, ut non ſciat, quid primùm, quid deinde agat aut egerit: non laudo zelum, qui negotia alia ex aliis rapit, & omnia imperfecta, omnia inchoata, nunquam finienda relinquit. Uno verbo, non laudo zelum, qui totus alienus eſt, nunquam ſuus; totus forìs, nunquam domi; totus diſperſus, nunquam collectus; totus laborans, quieſcens nunquam. Talis enim zelus, tandem deſinet eſſe zelus: infinitus enim non fuit nec eſt, effluet ergo

aliquando totus; & nihil ejus erit, quod ampliùs effluat, quando hoc erit? tunc quando zelus ille vertetur in sensum & carnē, tunc quando zelus impinget semel iterúmque in suam & Religionis famam, tunc quando zelus ille, judicio superiorum, securè & absque salutis detrimento zelare non poterit, sed latere, sed sese colligere jubendus erit, quia alioqui de perfectione, de spiritu, de virtute, de fama, de vocatione & perseverantia zeli actum erit. Cujus rei tota ratio & causa hæc erit, quia talis zelus, sic scilicet effusus & profusus, raro se aut nunquam inspiciet, inspiciendíve tempus, otium, modum, vires habebit: raro igitur in suî notitiam veniet, raro suum statum, suas necessitates animæ & spiritûs excutiet: tandem ergo eas nesciet, nescitas negliget, neglectæ illæ crescent, virtutes cessante usu evanescent, vitia non advertenter succrescent, invalescent, radicabuntur: negligetur virtus, spiritus, & anima; regnabit vitium, sensus, & caro. Quid sequitur? illud: cùm spiritu cæperint, carne consummabuntur. Hæc qui legit atque considerat, non zelum, sed zelantem reprehendi sciat; reprehenditur, ut corrigatur: scopulus ei ostenditur, ut cautè naviget: tentationis laqueus dissolvitur, ut securus incedat.

Zelator ergo nec injussus zelabit; nec plùs quàm jubetur, zelabit; nec aliud quàm animas zelabit; & cum animabus aliorum, suam etiam animam, suæ etiam domûs disciplinam zelabit; Zelum denique ipsum suum, ut sit secundùm scientiam, ut patiatur mensuram, ut servet ordinem, ut captet

aliquando

aliquando quietem, ut instauret suî diminutionem, ut confirmet suam fatigationem, ut solidet suam vivacitatem, ut circumspiciat suam zelando rationem, & utilitatem, ut habere possit perseverantiam.

CONSIDERATIO XX.

Quòd solida virtus enervetur minimorum contemptu, & suî reputatione sive amore.

ENervatur adhuc solida virtus, minîmorum contemptu. Minimorum contemptus includit

1. Observationis Regularum, quæ parvæ & ad substantiam perfectionis non videntur pertinere, neque culpam gravem involvere, neglectum.

2. Includit neglectum consuetudinum receptarum, esto non præceptarum in Religione, ùt sunt consuetudines in sumendo cibo, in petendo lecto, in serviendo sacro &c. quæ recepta sunt ùt laudabilia; & ea olim in Tyrocinio nobis proposita sunt, ùt servanda, tamen de eis observandis nulla exstant imperia, & super ea non admodum excubat Majorum vigilantia.

3. Includit neglectum consuetudinum bonarum piarum privatarum, & unicuique olim aut placitarum & delectarum, aut etiam servatarum in multis & quotidianis actionibus suis. Quas consuetu-

ſuetudines in actionibus ſervari nemo jubet, nemo prohibet; ſi tamen ſerventur, non abſque lucro ſpiritûs, non abſque profectu virtutis fiunt: ſi non ſerventur, & ſpiritûs & virtutis lucra non habentur, & à bene operando deſueſcitur. Tales ſunt v.g. obſervationes illæ, quas quis ſurgens è lecto, quas orationem inchoans, quas examen ingrediens, quas ſtudia ingrediens, quas ſacrum, horáſve dicturus, quas confeſſiones auditurus, quas domo egreſſurus &c. facere vel ſolebat, cùm fervebat; vel facere poſſet, ſi fervere vellet. Hæ reculæ modicæ videntur, ſi ſingulatim ſpectantur; ſed ſi in cumulum omnes colligantur, & quotidie à devota mente obſerventur, dici aliter non poteſt, quàm quòd meſſem facerent magnam obſervanti, damnum ingens negligenti.

4. Includit neglectum circumſtantiarum & perfectiuncularum minutarum, in operibus quotidianis: quando ſcilicet tantùm fiunt, ut fiant, ut uſui ſatisfiat, quia fieri mos vel imperium eſt, ſerviliter ob pœnæ metum, vel politicè, honeſtatis naturalis imperio, non ex ſpiritu & caritate & diſciplinæ atque perfectionis amore.

5. Includit neglectum à Deo immiſſarum inſpirationum & inſtinctuum ad obſervantias & exercitationem virtutum, fugámve vitiorum. quâ de re alibi actum eſt, hìc nihil opus eſt repetere.

6. Includit neglectum minimarum culparum, nec culparum ſolùm, ſed etiam imperfectionum tantùm, quas ideo committimus, quia parvas putamus, & nihili facimus, neque earum evitationem

nem multùm perfectioni obesse consideramus: ut est, ad pulsum campanæ literâ imperfectâ non obedire, non compositis manibus incedere, &c, res compositas in cubiculo non habere & mundas &c.

7. Includit contemptum minimarum occasionum proficiendi in virtute, se v.g. humiliandi, aliquid patiendi, alicui caritatem exhibendi, pro aliquo officium supplendi, obediendi, se affligendi atque confundendi; curiositatem sensuum, judicium, voluntatem, amorem proprium vincendi, alios non censurandi, sine causa non loquendi vel aliquid non cognoscendi: quarum rerum assiduæ occasiones sunt in vita communi, sed non perinde sunt assiduæ observationes & aucupationes; vix enim quis ea sentit, quis observat. Ah utinam non sit, qui etiam ea & ipse observare contemnat, & alium observantem rideat ridendúmve propinet!

8. Includit contemptum minimarum rerum & personarum; non contemptum illum gravem, qui gravis culpa sit, sed leviorem, & magìs neglectum vocandum: ùt quando rebus, esto non pretiosis, non tamen parcimus, non eas servamus, malè jacentes non meliùs componimus, & paupertati in minutis non prospicimus, in reliquiis candelarum, panum, vestium &c. Item quando personarum delectum habemus, nec parem honorem humanitatémve aut obsequium præstamus, parem licet fortè merentibus: sed quia ille notus, hic ignotus; ille prodesse posse putatur, ab hoc nihil speratur; ille ve-

teranus, hic novus; ille dignitate quadam externa præditus, hic contemtibilis formæ, staturæ, vestis; ille sacerdos, hic coadjutor &c. Hoc delectu non laborat perfectus: quia scit minimos curæ esse Deo, & fratres Christi vocari à Christo, & eis præstita sibi imputari à Christo: &c. Immò perfectus ad tales, qui specie abjecta sunt, festinat; illos, ad quos accurrunt omnes, omnibus relinquit; ad hos quos nemo curat, ipse accurrit, *& cum simplicibus sermocinatio ejus.*

Horum minorum cura, non est, in vita spirituali, minima; immò hæc cura, non est nisi cum virtute solida connexa. Habet enim difficultatem maximam, nec nisi magnâ virtute superabilem. Difficultas hujus curæ hæc est, quia difficillimè ista curantur, quæ difficillimè sciuntur, & adhuc difficiliùs, scita, magni æstimantur, quia ob suî exiguitatem contemptibilia cùm appareant, magni æstimari non nisi ab illuminato corde possunt; curari autem, & non negligi, non nisi à fervente voluntate, & efficaci ac lata atque solida virtute valent.

Horum ergo minimorum cura, est virtus & perfectio maxima; ut non immeritò Sanctus Chrysostomus pronuntiaverit, quòd in minimis sit perfectio; quia revera sine minimis non est perfectio. In hac curâ quales simus nos, quàm multa quotidie, defectu hujus curæ, lucra perdamus, in quantis quotidie defectibus inveniamur, acriter quisque nostrûm dispiciat, & omni, quâ meliori ratione poterit, emendationem, hoc est, minimorum curam proponat.

Ener-

Enervatur præterea Virtutis ſoliditas ſuperbiâ, & ſuî quâdam reputatione aut amore, atque appretiatione & complacentiâ. Quæ res plùs quàm nota eſt, nec indiget longâ non dico tractatione, ſed etiam conſideratione. Perfectus enim longiſſimè abeſſe debet à ſuperbia & ſuî amore. Neque tamen ullus ſtatus eſt, cui plùs, cui pertinaciùs, cui doloſiùs inſidietur, pernicioſioráque minetur amor ſuî & ſuperbia, quàm eſt ſtatus perfectorum; adeò, ut nulla ſit eis pugna magìs gravis, nulla magìs timenda, nulla magìs ſcienda, & in uſu habenda, atque cum ſuperbiâ. Et perfectorum quidem eſſet proprium, ita perfectos eſſe, ut ſuperbiæ vitium poſſint non timere, immò ita, ut nullum vitium minùs, quàm ſuperbiæ deberent timere; tamen ſecùs evenire certum eſt, & maximum periculum maximè perfectis, ab altitudine diei & à Dæmonio meridiano, hoc eſt, à ſuperbia creari notorium eſt. Quo in paſſu nihil poſt Dei gratiam homini ſuffragari poteſt meliùs quàm ſuîmet germana cognitio, & ex cognitione neceſſariò conſequens vera atque juſta ſuî æſtimatio, hujúſque æſtimationis perpetua ob oculos ſuos propoſitio, & practica ubique ejuſdem applicatio, & ad omnes ſuperbiæ, complacentiæ, vanæque gloriæ motus & aſſultus objectatio. Quiſquis in ſui nihili abyſſis bene verſatus, bene vagatus, bene peritus eſt; quiſquis novit ſuum eſſe, eſſe non eſſe, ſuum poſſe eſſe non poſſe, ſuum valere eſſe non valere, ſuum habere eſſe non habere, ſuum ſufficere eſſe deficere, ſuum mereri eſſe non mereri, ſuum bonum eſſe malum, ſuum verum

esse falsum, suam feracitatem esse sterilitatem, suum fructum esse peccatum, suam vitam esse mortem, suam beatitudinem esse miseriam, suam lucem esse tenebras, suam sapientiam esse stultitiam, suam prudentiam esse errorem, suam sanctitatem esse malitiam, suum honorem esse contemptum, suum meritum esse supplicium, suam laudem esse confusionem, suam possessionem esse nihil de suo, omnia de alieno esse & habere, omnia alteri debere, totum alienum esse, suam existentiam esse non existere, & ad non existendum continuò tendere atque ruere, & pondus in præceps ruinámque suam esse: hæc, inquam, quisquis novit, & in veritate novit, is superbire, is se amare & reputare, & appretiare non novit. Similiter quisquis novit Deum esse fontem sui esse, ex Deo se habere quod habet, posse quod potest, agere quod agit, mereri quod meretur, manere quod manet, cogitare quod cogitat, moveri quod movetur, velle quod vult, durare quod durat; quisquis novit, non solùm gratiam & supernaturalia bona gratiæ esse sibi à Deo, sed etiam naturam ipsam suam, omniáque naturalia bona sibi non debita esse, sed gratìs donata, & proinde ipsam quoque naturam suam sibi esse gratuitam atque gratiam; quisquis novit, se magìs Dei esse quàm suum, magìs Deo esse quàm sibi, imò totaliter Deo, nullatenus sibi, nec propter se; magìs Deo subesse quàm sibi, magìs, immò totum ex Deo posse & agere, ex se autem nihil posse nihílque facere; quisquis novit, etiam libertatem suam esse Dei servam; etiam cùm liberè aliquid vult,

illud liberè magìs Dei, pluribúsque nominibus Dei eſſe, quàm ſuum ſuæque libertatis; ipſum conſenſum ſuum in bonum aliquid, Dei magìs quàm ſuum eſſe, Deóque deberi, non ipſi, etſi non ſinè ipſo; quiſquis novit, id,quòd bonum aliquid & rectum novit, appetit, eligit, facit, perficit, perſequitur, perſeverat, quòd occaſionem, quòd poteſtatem, quòd actum ipſum habet, hoc totum ex Deo eſſe, Dei eſſe, & magìs hominem per Deum, quàm hominem per ſe habere; quiſquis novit,quòd bona ei ſint dona Dei, & quòd merita ejus ſint gratiæ Dei, & quòd, dum merita homini præmiis rependit, dona ſua coronet Deus; quiſquis novit, quòd ad omne bonum ſuum, nihil ampliùs afferat homo de ſuo, quàm quòd aut impediat Deum, ne illud per ipſum faciat Deus, aut ſi non impedit, ex ſe tamen aptus ſit impedire, niſi gratiâ ſuâ pondus illud ejus ad impediendum ſublevet & ſuperet, impediátque Deus; quiſquis novit, quòd ad omne bonum ſuum, nihil de ſuo afferat homo, niſi quòd ille ſit,aut per quem omne bonum ejus faciat Deus, aut qui cum Deo faciat bonum, quod tamen non ſit ex homine ipſo, ſed ex Deo, quódque det illi Deus, ut ille cooperetur Deo, det, inquam, non tantùm eſſe hominis cooperantis, non tantùm virtutem cooperandi, ſed etiam actum ipſum cooperationis, quia omnium iſtorum eſt autor primus Deus; Hæc, inquam, quiſquis novit, & in veritate novit, & experimentaliter atque practicè & applicativè novit, is ſuperbire, is ſe amare, is ſe reputare & appretiare, non novit. *Quid enim*

habes

habes ô homo quod non accepisti, qui & te ipsum, & omne tuum posse accepisti, & insuper ipsam etiam acceptionem accepisti? *Quid ergo gloriaris quasi non acceperis? Quid superbis, non dico, terra & cinis*, sed nihil & abyssus nihili? Quid tam tuum ô homo, quàm tu? sed rursum quid tam non tuum, quàm tu, si alicujus est totum id, quod es? An autem totum alicujus sit, quidquid es, nega, & ignora si potes, certè saxa docebunt te confessionem istam, & retundent superbiam tuam, & dicent tibi: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos, in ipso vivimus, movemur, & sumus: in ipso omnia constant, sine ipso factum est nihil.*

O duo niduli, è quibus nunquam contemplatio humana evolare debeat: Nihilum meum, & Deus meus. Ex me nihil sum quod sum; ex Deo sum, quidquid sum. O quis det in his nidulis mori! ô quis det in hisce abyssis duabus immergi, ætatem perdere, immori! Miseri nos, qui alia omnia discimus, & hæc negligimus; miseri nos, qui dum alia cognoscimus, hæc cognoscere desinimus; & dum in aliis subtiliter speculativè sumus, in his stupidissimè cæcutimus, immò quod majus ac mitius miseriúsque est, etiam dum hæc ipsa subtiliter atque argutè & solidè de humana insufficientia, de gratiæ necessitate, de Deo Prima causa primóque efficiente indagamus, disputamus, enucleamus, concludimus, penetrativè scimus, ex horum ipsorum cognitione, de horum ipsorum cognitione cæcutimus, hoc est, superbimus ex cognitione vilitatis nostræ; ad reputationem nostrî ex cognitione illa

sustol-

ſuſtollimur, ſitque nobis lux noſtra tenebræ , & dies noſtra nox nobis efficitur. At non ita magiſterium tuum currit ô Deus, neque in tenebras cognitio tua deſinit. cùm illam donas, illuminat illa, ſed ſimul & humiliat: humiliat; ſed ſimul in ſe ſuſtollit, ut homo cognoſcens ſe, contemnat ſe & deſperet de ſe, deſperando autem de ſe, convertatur ad ſperandum de te, & invocandum te. contemnendo ſe, totus convertitur ad exaltandum in omnibus te: odiendo ſe, convertitur totus ad amandum te toto ſe; accuſando ſe convertitur ad confitendum tibi & laudandum te: nihil tribuendo ſibi, omnia attribuit, & pro omnibus gratias reddit tibi & ſic ad liberalitatem in ſe provocat te, nihilque inveniendo apud ſe, omnia quærit & invenit apud te, & fit dives in omni gratiâ , non de ſuo ſed de tuo, gloriatúrque ſecurus & præſumit, non in ſe ſed in te. Hoc eſt magiſterium tuum Deus, quo nos humiles non facis, quia ſumus ; ſed eſſe nos oſtendis nobis, ut ſciamus & fateamur, & in confuſione faciei , in confeſſione noſtri nihili ambulantes, uſque ad te ſufficientiam & plenitudinem noſtram aſcendamus, *& de plenitudine tua accipiamus.* Joan. 1. 16. atque te ſolum ex omnibus, præ omnibus, per omnia magnificemus, ſuperbiam ignoremus, tibi fideles ſimus.

Ab hoc Magiſterio qui ſcientiam perfectionis inchoat, ab hoc fundamento qui domum virtutis ædificat, is ſecurè poteſt erigere quantamlibet fabricam celſitudinis, quia inchoavit à fundamento humilitatis. Qui ſecùs ædificat, ruinam ædificat,

Baby-

Babylonem ædificat, infernum ædificat, nec miretur; ſuperbiam enim ædificat, ſuperbia autem cæcitas & ignoratio eſt; tribuit ſibi quod non deberet ſibi tribuere, ſed Deo; magnificat ſe in eo, in quo magnificandus erat Deus; complacet ſibi, in quo complacendum erat Deo; proprium ſuum facit, quod eſt proprium Deo, aut ſaltem commune illi cum Deo, minùs autem illi quàm Deo. Inde ſuperbia ſtatim mendax eſt, ſtatim & furax, rapax, & injuſta: rapit enim ſibi quod eſt Dei; mentitur ſuum quod eſt Dei.; inſuper blaſphema eſt, quia negat Dei eſſe quod eſt Dei: negat autem, quia ſibi appropriat. Denique in Idololatriæ malitiam degenerat, quia complacet ſibi in ſe, quod facere debuit in Deo; facit ſe fontem ſuî eſſe, quod eſt proprium Deo; immolat ſibi laudem & gloriam, quæ eſt propria victima ſoli Deo. Hæc eſt malitia ſuperbiæ, ob quam non immeritò nihil illi poteſt eſſe commercii cum Deo, & cum omni Dei ſervo.

Hæc meditare ſerve Dei, in his eſto, quia hìc ſapientia eſt, quam qui ignorat, ſuperbus eſt: ſi ſuperbus eſt, jam quò ultrà pereat, non habet; quia perditione ipsâ pejor ſuperbia eſt, mater namque perditionis eſt.

CONSI-

CONSIDERATIO XXI.

Quòd virtus solida enervetur tentationibus & neglectu utendi virtute.

QUi perfectus est, necesse est, ut eum tentatio probet, *Virtus enim in infirmitate perficitur*: dum enim tentatur, quodammodo ad infirmitatem deducitur, cui dum resistit, exercetur: exercendo habituatur, atque ita roboratur, & sic perficitur; sicut ferrum, dum igni injicitur, mollius efficitur, sed tamen ab igne exemptum & malleo percussum induratur & rubigine privatur. Quo ex capite Venerab. Beda pronuntiavit, quòd *Catholica Ecclesia magis magísque roborata est, non resistendo sed perferendo*, tentationes nimirum & furores hostium tam invisibilium quàm visibilium. Sed quid ad hoc dicimus, quòd tentatio non tam videatur perfectionem virtutis quærere, quàm eversionem? quis enim tentat, ut ei prosit quem tentat, non potiùs ut noceat? Nihilominùs verum est, quòd tentatio virtutem solidet. Vexat discipulum Magister, & scientiam ejus ventilat, non ut discipulus nesciat, sed ut meliùs sciat, quia *vexatio dat intellectum auditui*. Tentat militem imperator & periculis exponit, ac laboribus fatigat, non ut eum perdat, sed ut robustum ac fortem efficiat. Sic etiam Deus permittendo, à Diabolo nos tentari, non quærit, ut cadamus, sed ut pugne-

pugnemus, pugnando vincamus, vincendo coronemur & triumphemus. Evertit quidem aliquando tentatio virtutem, quia ſicut idem ignis liquat ceram, durat lutum, purgat aurum, comburit paleam; ita tentatio quoſdam exurit, quoſdam puriores reddit; quoſdam ſolvit, qui amittunt ſuſtinentiam; quoſdam durat, qui fructum afferunt in patientia; evertit, inquam, aliquando virtutem tentatio, ſed non propterea, ut non fuiſſe vera ſolidáve virtus probaretur, vel ut ſi fuit vera & collapſa, de novo & quidem firmiùs reſtauraretur. *Vir enim fugiens iterum pugnabit*, & ſemel lapſus cautiùs incedet, ſemélque deceptus prudentiùs credet. Cytharam ajunt, confractam in minuta licèt fruſta, iterum autem inſtauratam, ſolidiorem reddi & magìs ſonoram: ſic anima tentatione eſto proſtrata, ſed aliquando tamen reſtaurata, fortior redditur, in humilitate ſolidatur, in caritate augetur, *cui enim plùs dimittitur, plùs diligit*. Quantus ſurrexit poſt lapſum David! quanta Magdalena! quantus Petrus aut Paulus! nonne teſtudines reſtauratæ, dulciùs ſonuerunt? Neque tamen ideò tantùm ſuccumbendum eſt, ut dulciùs aut fortiùs ſones (non enim facienda ſunt mala, ut eveniant bona) ſed ſi ſuccubuiſti, da operam ut fortior ſurgas, cautiùs vivas, robuſtior pugnes, & fias quaſi David poſt offenſam.

Habent tamen aliud adhuc periculum tentationes, quia etſi non evertant, retardant tamen & infrigidant virtutem: ita *ut enon faciat um tentatione proventam*, quem ut faceret, à Deo erant permiſſæ vel

vel solent permitti. Sicut enim frigida aqua, calidæ superinfusa, eam infrigidat, ita tentatio animæ virtutique ferventi adveniens eam refrigerat. Quanti enim modò ferventes, tentatione adveniente, fervoris obliviscuntur & languent! quid ferventius Petro in hortum pergente cum Christo? quid illo frigidius, cui dicitur: *Simon dormis? non potuisti unâ horâ vigilare mecum?* quid ferventius illo, qui dicebat: *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum?* Quid eodem frigidius, qui mox dixit: *Avertisti manum tuam, & factus sum conturbatus?* Ob quod oportet semper esse paratum ad pugnandum & servandum illud Sapientis: *Sta in timore & præpara animam tuam ad tentationem.* Impossibile enim est non tentari in hoc mundo, & impossibile est aut non vinci tentatione, aut eâ superiorem non fieri. Tentaberis: pugnabis: igitur aut succumbes, aut pervinces; non succumbes nisi ipse volens, nisi negligens, nisi te negligens, nisi te tentationi tradens; non vinces etiam, nisi gratiâ Dei adjutus, & voluntate bonâ præditus. Gratia tibi nunquam deerit, modò tu illi nunquam desis; *& fidelis est Deus, qui non permittet, te unquam tentari supra id quod potes.*

Sciendum verò est, variè infringi fervorem virtutis tentatione. 1. Metu tentationis, quem metum metuens Deus Israëli ex Ægypto egresso, noluit illum rectâ paucorum dierum viâ ducere in Palæstinam, ne Israël videns adversum se plurimarum fortissimarum gentium bella consurgere, metu illorum rediret in Ægyptum. Ob quod per desertum, illum circumduxit 40. annis, ut sensim eum

& cultui suo assuefaceret, & paulatim atque per partes gentes illas deleret. Ita Deus providè non sinit nos in servitio suo graviter tentari, sed dispensat tentationes secundùm tempora, secundùm vires, secundùm quod nobis magìs expedire noverit, & sibi placere voluerit. 2do modo, tentatio fervorem reprimit virtutis, non jam metu sed experientiâ suî: expertus enim quis tentationes & earum vires, lentior & segnior efficitur in operibus virtutis. Irrisus semel, vexatus, contemptus, confusus, vel aliter probatus, fugit deinde esse observans disciplinæ, ob quam ab aliis irrisum se meminit & vexatum. Quid huic factum est? Tentatio fervorem virtutis infregit. atque hoc contingit etiam victoribus tentationum, qui vincunt quidem tentationem semel vel quoties se offert, nolunt tamen illam sibi offerri, nolunt ejus offerendæ occasionem dare, nolunt crabrones irritare, eligunt magìs sinè pugna pacatè vivere, quàm pugnando vincere & triumphare. Sed hi in professionem suam peccant, quia milites se profitentur & pugnam detrectant. Deinde isti, dum tentationem vitant eáque carere volunt, jam hoc ipso tentantur: pax enim illa, quam amant, periculosior est bello quod horrent. Illam enim pacem volunt, ut securi sint; quod in hac vita non licet, quod in hac vita periculosissimum est. non est enim hìc tempus securitatis sed cautelæ, quia non est locus pacis, sed pugnæ. Isti ergo aquam in igne quærunt, pacem in tentationum regno. Præstat, inter hostes viventem, semper arma & pugnas meditari, quàm pacem somniare; quia etsi tu pacem fortè desideras, sed hostis

tuus

tuus in tuam perniciem vigilat ; faciliùs autem te perdet, pacis consilia meditantem & securè agentem, quàm omnia suspecta habentem, semper excubantem, semper gladio accinctum, galeâ munitum, scuto tectum, hostem exspectantem. 3tio modo, infringit tentatio fervorem virtutis, molestiâ certaminis, aut potiùs inscitiâ pugnantis. Sciendum namque est, tentatorem nostrum sæpè nos tentare, non ut speret & ad peccatum inducat, quia hoc in perfectis plerumque desperat, sed ut oppugnet, oppugnando inquietet & melioribus studiis, quibus nos deditos vel dedendos novit, tentationis abigendæ curâ divertat. Utroque igitur modo virtutem retundit, inquietando nempe & occupando mentem. Et assequitur utrumque hoc improbus tentator, si non sit cautus virtutis suæ propugnator. Nam si voluerit tentationi ita resistere, ut cum eâ velit cominùs congredi, ejus omnia initia, occasiones, vices, gradus, momenta observare, ad singula scrupulosè objecta scrupulosiùs respondere, omnia distinctiùs nôsse, semper expresè, distinctè, explicitè consensum negare, neglectis aliis rebus ad obsistendum, tentationi toto virium suarum & vigiliarum exercitu occurrere : talem, qui sic pugnat & tentationi resistit, necesse est & inquietissimum reddi, & à melioribus studiis occupationibúsque avelli, & insuper umbris, suspicionibus, perplexitatibus, dubiis, formidinibus, scrupulis, scopulísque innumeris, ac quotidie pluribus involvi : vires prætereà corporis frangi, sanguinem aduri & corrumpi, spiritus exhauriri, cor emarcescere, imaginativam & judicativam

vim lædi, totum denique hominem tentatum, phanaticum, carnalibus, infidelibus, blasphemis cogitationibus agitari ac impleri, propè insanum, penè illusum, vix non obsessum, planè & plenè ad omnia inutilem, exosum, ridiculum, gravem effici. Ad quos scopulos, etsi non omnes devenire certum est, devenire tamen non paucos, etiam certum est. omnes autem, qui illâ prædictâ ratione cum tentationibus depugnant, eámque plùs minùs sectantur, certum quoque est, his duobus se primùm quidem damnis prioribus involvere, inquietudinis nempe & à melioribus avocationis, deinde illis sequentibus periculis plùs minúsve non procul abesse. Et tamen in spirituali vita, inter spirituales homines, vix reperire est aliam tentationibus resistendi rationem ab ista: quam ut ob utentium frequentiam atque authoritatem non damno, ita ob suprà dicta incommoda non laudo. E quâ illud etiam eminet incommodi, quòd cùm sit illa via resistendi adeò tum difficilis, tum inquietuosa, tum bonorum meliorum impeditiva, tum etiam ad illa alia mala viam veluti insternens; non pauci id videntes in aliis, & metuentes in se experiri, eligunt potiùs laxè vivere, de tentationibus parvam curam agere, neglectim spiritualia tractare: ne si velint id diligenter facere, cogantur à tentationibus omnia illa incommoda subire, vel illa subeundi periculo se se exponere. Quod incommodum sanè grande est, & vitandum, Deóque odibile, quia detrahuntur per illud homines sacrificio Domini, & multi qui possent, & alioqui vellent, non curant esse perfecti.

Quid

Quid igitur cum tentationibus faciendum est, ne aut molestæ sint, aut nos ab optimis studiis actionibúsque longè magìs in Deum animum transferentibus atque corda unientibus avellant? Obsistendum illis est, & quidem si fieri potest, in ipso earum primo initio, obsistendum, non illâ prædictâ ignoranti diligentiâ, sed aliâ quadam diligenter vigilanti negligentiâ; dissimulatione, contemptu, ignoratione, & ad res quæ bonæ in manibus sunt, & à mente tractantur, attentione, mentísque applicatione; ita ut his velut immersi, tentamenta diaboli vel non advertamus, vel certè ac si non adverteremus, ea prætereamus, nostras res agere pergamus, linguam tentationum tanquam nobis peregrinam non intelligamus, ipsum denique sensum & motum inferioris nostræ portionis, perinde ac si alibi & non in nobis esset, dissimulemus & hanc dissimulationem tam diu támque obstinatè teneamus, donec ad alia animo distracti, tentationis apprehensionem & memoriam non habeamus, aut certè diabolus tædio victus tentationi supersedeat, nósque quietos interea vel ad tempus relinquat. Idque servandum est, etiam tunc, immò maximè tunc, quando tentatio maximè fervet, furit, se se objectat, viscera etiam ipsa, & imaginationem oberrat, memoriæ se se obtrudit, & quodammodo nunc hinc, nunc illinc assistit & assilit, tunc, inquam, ad tentationem maximè clamantem, maximè surdescamus, maximè linguã ejus (licèt cognoscamus) advertere nos dissimulemus; nullo, quantùm fieri potest, signo molestiam & advertentiam ostendamus, sed ac si extra nos es-

ſet negotium, ita contemptum hoſtem eludamus. Neque tamen hoc periculum aut non reſiſtendi aut conſentiendi, aut tardè reſiſtendi metuamus: quia nemo meliùs reſiſtit diabolo, quàm qui neque ad congreſſum illum admittit, eíve reſpondere dignatur; nemo minùs conſentit, quàm qui neque colloqui cum diabolo, nec quid ſibi velit, nôſſe adverteréve dignatur; nemo citiùs reſiſtit, quàm is, qui primos etiam hoſtis aſſultus frangit: quod facit, qui illos contemptu expedit, & neque animadverſione dignatur: is enim neque ad ſuggeſtionem plenè faciendam diabolum admittit, primum autem tentationis opus eſt: ſuggeſtio, ſecundum: delectatio, tertium: conſenſus, ex quibus duo poſtrema in anima ſunt, quando ſunt: & conſenſus quidem peccatum eſt; delectatio peccatum non ſemper eſt, niſi quando moroſa, vel cum conſenſu eſt. at ſuggeſtio tota extra animam eſt, licèt ad animam fiat. quàm citò ergo putandus ſit is tentationi reſiſtere, qui etiam ſuggeſtionem non admittit, facilè quiſque cognoſcit. Atque ita omni tentationis generi ſecuriſſimè & fortiſſimè reſiſtitur, quando contemptu ſuprà explicato reſiſtitur. Sic quando reſiſtitur, nec anima moleſtiam patitur, ab importunitate & aſſiduitate tentationis, quia illam non curat; neque à melioribus ſtudiis tentatione avertitur, quia ab illis non tantùm avocatur, ſed etiam ad illa, occaſione tentationis, magìs advertitur & applicatur. immò per ipſam illam applicationem, diaboli vis, & tentationum omnis violentia ſtatim in ipſa prima ſuggeſtione frangitur; ùt veluti ex glacie factus gladius objecto contemptûs clypeo

diſſilit

dissilit & eliditur, immò eluditur. Sic quando resistitur, omnis tentationum instantia, omnis passionum vehementia, nullo labore, nullo periculo sustinetur & vincitur. Neque aliam quisquam inveniet rationem resistendi (post divinam gratiam, cœlestéque auxilium, quod hìc semper supponimus) meliorem, id est, securiorem ac faciliorem, quàm istam jam modò explicatam. Quæ in omnibus quidem tentationibus locum habet, sed præcipuè in tentationibus molestis (ùt sunt vindictæ ac recenter ferventis libidinis, contra fidem, blasphemæ, suspiciosæ, contra vocationem, tepidæ, scrupulosæ &c.) ea si adhibita non fuerit, nulla humana industria proderit.

Hujus doctrinæ, de resistendo tentationibus, jam prædictæ, illa causa est atque fundamentum, ex natura intellectûs nostri virtutísque animadvertentis, seu reflexivæ, ad objecta proposita sibi, desumpta. Est enim intellectûs nostri ea ratio, ut ad duas res nullo modo plenè advertere possit, sesé-que convertere, & eis inhærere atque occupari. Potest quidem intellectus uni rei se applicare, & interim dum uni est applicatus, aliam objectam sibi percipere, sed si se ad illam insuper objectā voluerit etiam convertere, à priore illâ advertendâ necessariò se debebit avellere. Quando igitur tentationem diabolus objicere vult, tum vel otiosam mentem quærit, & ei inventæ tentationis objectum proponit: à quo objecto si mens statim se ad aliud quidpiam contuendum non avertit, necessariò ad tentationem advertit, & jam suggestionem excipit, delectationísque opus succedit, cui si non resistit, con-

ſenſus in foribus & peccatum eſt. Si autem ſeſe mens à tentatione tentata ſtatim ad aliud quidpiam diſparatum à tentatione converterit, & ei ſe adverterit otiúmque excuſſerit, neceſſariò tentationi renuntiabit, & ad eam non tantùm non advertet, ſed nec advertere poterit: conſequenter neque eâ delectari, aut in eam conſentire. Vel certè occupatam aliis rebus ac ſtudiis invadit, & ſuam ei tentationem pro eis ſubſtituit; & tunc ſi ſe mens non cuſtodit, ſed primis ſuis occupationibus deſertis, ad tentationem ſe convertit, jam ſuggeſtionem habet & tenet, quia tentationem jam cernit & advertit: quam niſi ruperit, delectationi locum dabit, cum delectatione autē periculoſa pugna eſt, & facilis conſenſus; ut ergo non facilè conſentiat, delectationi fores claudat; ut claudat, adverſionem impediat; ut impediat, ſe ſe ad prima illa objecta, in quibus deprehenſa eſt, vel ad alia ſimilia, à tentatione diverſa, convertat, & ad tentationem nec quidem advertat, ſed eam contemptu & neglectu authori ſuo relinquat. Quòd ſi mens cauta diabolum ſpernit, & ſuis intenta eſt; labor nullus, victoria plena eſt.

Ex quo patet, quanti referat, hanc advertentiam mentis noſtræ illico à tentatione ad aliud diverſum objectum transferre, atque tentationi illam ſubducere. Patet etiam, quàm periculoſum ſit, mentem otioſam habere, ut non ſine cauſa dictum ſit: Otium pulvinar diaboli; & otia dant vitia, & in deſideriis eſt omnis anima otioſa &c. Patet inſuper, quàm efficax ſit iſte modus reſiſtendi tentationibus, & quàm in ipsâ naturâ intellectûs noſtri fundatus.

datus.

datus. Quod adhuc validiùs confirmari potest ex eo: Omnis tentatio peragitur suggestione, delectatione, consensu, hoc quidem ordine: primùm suggestio menti objicit aliquid peccaminosum seu malum: mens illud objectum habens propositum, cognoscit, cognitum advertit esse tale vel tale, bonum, malum, delectabile &c. Sive autem hæc advertentia non statim, sive statim peragitur ab illâ cognitione, ita ut nihil sit ab ea divisa, advertentia tamen illa provocat delectationem sive concupiscentiam, ùt vocat S. Iacobus. Delectatio expenditur adversione aliâ, & quodammodo deliberatione circa objectum, sítne scilicet acceptandum cùm sit delectabile? an rejiciendum, cùm sit illicitum & turpe? post deliberationem acceptatur à voluntate delectatio & fit consensus, & quia fit contra rationem (illicitum enim & turpe ratio reprobat) consensus ille est peccatum. Hìc in objectione tentationis non est peccatum; in cognitione ejusdem primâ, simplicíque non est peccatum; in advertentia ejusdem, quòd sit talis, nondum est peccatum: in delectatione concupiscentiáque motâ ex objecto seu tentatione delectabili & concupiscibili, adhuc non est peccatum, (nisi jam sit collusio voluntatis) In advertentia, quòd objectum sit delectabile ex una, illicitum ex alia parte (utì & in deliberatione, sítne acceptandum, quæ antecedit consensum) nondum etiam est peccatum. At si voluntas pro licito magìs est contra delectabile, & negat consensum: vincit: Si verò pro delectabili magìs est contra licitum (quod idem est ac contra rationem, legem &c.) consentit, & peccavit, captáque

 est.

est. Hic videmus, quàm longè sit advertentia illa cognitióque tentationis ab objecto propositæ à consensu: quia etiam ipsam delectationem & delectationis advertentiam antecedit. . Videmus igitur etiam necessariò, quàm sit iste, [de quo loquimur] tentationibus resistendi modus securus, & à peccato remotus, qui illam ipsam advertentiam, tam à consensu remotam, non dico non admittit, sed admissam statim impedit, statim deserit, & aliâ ad aliud objectum adversione excludit.

Quærat aliquis, cur tandem velim tentationibus resisti, negando adversionem illam etiam quæ præcedit delectationem, cùm tam sit à peccato, hoc est, à consensu remota? Respondeo inprimis, diabolum iisdem esse petendum artibus, quibus petit. Tentat ille, hominis mentem avocando à bonis ad mala, hoc est, curando, ut non attendat bonis, advertat verò se ad mala; ideo repellendus est etiam sic, ut hominis mens attendendo ad bona, non attendat ad mala. Deinde respondeo causam esse hanc, quia *qui amat periculum, peribit in illo.* Anima nostra est veluti stuppa sicca, fomitem peccati insuper in visceribus habens, minima delectatione succendendnm, si se offerat. Tentatio ignis est, suggestio scintilla, cognitio tentationis est stuppæ quædam incensio, an illuminatio? qui vult, judicet. Si post cognitionem & adversionem tentationis (quòd sit tentatio) succedat delectatio, quid aliud speretur, nisi stuppæ accensio & conflagratio, hoc est, voluntatis & animæ ad peccatum per delectationem inclinatio sive consensus? Ne igitur delectatio consensum provocet, delectatio impedienda est,

ne

ne in mente nascatur; non nascetur, si advertentia præpediatur: præpeditur, quando mens ad alia convertitur, & illa contempta atque dissimulata, flaccescere atque languescere sinit.

Quærat aliquis adhuc, ad quæ tandem & qualia objecta sit mens convertenda, cùm tentari se suggestione sentit? Respondeo: Primùm quidem ad invocationem auxilii Divini & Sanctorum tacitam & devotam. Deinde vel ad id, quod habet homo in manibus tunc cùm tentatur, vel ad timorem Dei, timorem pœnæ æternæ, timorem judicii divini, vel ad amorem & vulnera Christi, ad amorem Beatæ Virginis, ad amorem virtutis, ad suum statum, & ad similia, in quibus homo liber est suíque juris, modò bona sint, quæ tunc cogitet, aut saltem non mala: tunc enim etiam ad indifferentia advertere indifferens non est, quia id fit, ut tentatio explodatur; dummodò hæc cogitatio talis sit, ut attentionem ad tentationem impedire possit.

Hæc opinor non otiosè, neque infructuosè, etsi præter intentionem meam hujúsque tractationis finem & naturam, dicta sunt; & ùt minimùm ad hoc proderunt, ut solidis viris solidi securíque modi (cum tentationibus suis pugnandi) proponantur. Placebit alicui non uti? libertate fruatur, hac in re, suâ, ego neminem sententiis meis in servitutem redigo. Quanquam hæc quæ attuli, mea dicere non possum, cùm & in probatis scriptoribus reperiri sciam, & experientia Magistra id commendatum in multis habeam, & hìc nihil de meo, præter verba & explicandi conatum, exhibeam. Redeo tandem ad propositum.

Ener-

Enervari virtutem, etiam neglectu atque non usu virtutis, certum est, nec probandum multis. Aqua immota putrescit. Instrumenta etiam ferrea, si in usu non sint, rubiginem contrahunt. Otiosa virtus mortua est. Agere oportet, qui vult virtutem sive habere, sive solidare. Est autem otiosa virtus non solùm, quando prorsus nihil & nunquam agit, sed etiam quando vel agere differt, vel agit perfunctoriè. Virtutis verbum est *hodie*, *cras* non novit dicere. Virtutis verbum est, *nunc cæpi*. Virtuti dicitur: *festina, accelera*. Si non festinat, tardat: si tardat, negligit: & quomodo non etiam otiosa est? immò verò est etiam maledicta, *maledictus enim qui facit opus Dei negligenter*. Sed de hoc puncto plura etiam dicta sunt superiùs. Quando de usu virtutum agimus non negligendo, non est opus verbis, sed ipso usu. Utamur ergo virtutibus, hoc est enim opus nostrum & opus virtutis nostræ.

DIES VIII.

De rationibus & causis solidandæ virtutis. recensentur sexdecem causæ seu stimuli.

CONSIDERATIO XXII.

Stimuli solidæ & solidandæ virtutis.

Causas etiam suadentes nobis & excitantes nos ad solidandam virtutem adducere atque expendere, operæ pretium est. Etsi enim ea res cuique obvia est & superiùs aliâ occasione nonnulla dicta sunt, quæ ad hoc propositum faciunt: complementi tamen causâ nihil

oberit,

oberit, hoc loco etiam aliquid saltem attingere, exaggerare enim facilitas materiæ non sinet.

1. Urget nos ad solidandam virtutem inprimis exiguitas, teneritudo. & parvitas paucitásque virtutum quas habemus, quam quidem nobis conscientia nostra facilè ob oculos ponet, si quotidianas imperfectiones proponet. Has igitur inspiciamus, paucas & parvas virtutes inesse nobis credamus, de iisdem augendis & augmentandis concludamus.

2. Urget nos etiam ad ipsum fragilitas & inconstantia virtutis. Maximæ quæque columnæ cœli ceciderunt & confractæ sunt, quidni nos timeamus nostro vitro, ne frangatur? solidetur, ne frangatur. quàm diù hìc vivimus, peccare possumus; & parum est causæ, ut nos quotidiè solidemus?

3. Urget nos ad istud ipsum virtutum solidandarum studium, temporis ad hoc studium apti brevitas. Tempus breve est totum; sed bene, sed perfectè vivendo brevissimum: nisi cauti simus, nisi scilicet semper perfectè vivere, perfectè omnia facere conabimur. Redime tempus, quisquis es amator virtutis.

4. Urget nos ad id ipsum, multitudo meliorum solidiùs Deo servientium, quanti sunt, qui nobis in Religione posteriores (non ita instructi præsidiis naturæ, doctrinæ, gratiæ, non in tam disciplinata familia, carentes tot præsidiis, tot stimulis, curis, occasionibus, exemplis) perfectiores tamen sunt! Ii ipsi, quorum in spiritu Duces sumus, quàm multi prævolant nos! festinemus vèl sequi, si prævenire tardavimus.

5. Urget nos ad id ipsum paucitas meritorum

rum, quæ comparavimus pro vitâ ordinatâ, & quidem non nisi per nostram socordiam, quam tandem excutere, tempus, ætas, ratio, Deus, conscientia, vocatio, monent, jubent.

6. Urget nos ad id ipsum, mors instans, & fortè ex insidiis sed propinquis nos captans. Quod in morte facere velles, id jam facito, quia fortè jam in morte es. O quantum solatium morienti fervens vita! Hoc solatium qui tibi optas, cur fervorem non procuras?

7. Urget nos ad id ipsum tanta spiritûs scientia, tantúmque lumen in divinis: quod quid prodest, si non lucet? & si lucet, quid prodest, si non etiam ardet? Prô! quanti indocti surgunt & rapiunt perfectionem, nos autem in lumine nostro & cæci sumus, & testudine tardiùs pergimus, assámque ut columbam ore hiante, sic cœlum captamus! Et quid respondebimus Christo? vel quàm durum erit audire ab ipso: Et tu non potuisti pervenire, quò iste? tantùm meâ divinitate frui nunc, quantùm iste? O quàm durum erit audire, quando dicetur alteri: *Amice ascende superiùs.* mihi autem: *descende, da huic locum.* quàm durum erit videre, *cùm ecce multi venient ab oriente pueritiæ, & occidente tardæ in senecta conversionis,* (qui tamen expleverint tempora multa) *& recumbent cum Abraham, & parem mercedem accipient his, qui portaverunt pondus diei & æstus!*

8. Urget nos ad id ipsum ætas. Juvenis & robustus es? ergo fervere debes, quandoquidem fervet ætas, & serviunt anni: nam in senio fractæ vires magìs de corpore quàm de animo solicitabuntur.

Senuisti ? igitur quantò propiorem finem vides , tantò te urge ampliùs. Non senescit virtus , fides non computatur annis.Fervor semper juvenis est & ideo in fine ne corrumpas : In fine motus velocior.

9. Urget nos ad id ipsum tanta stimulorum gratiæ efficacia atque perpetuitas. Hìc se quisque inspiciat ex perfectis. Durum certè cor esse debet illud , quod ad stimulos tantos tam assiduos , tam potentes , tam congruos , nihil velociùs currit : an fortè occalluit , & jam sentire desuevit ? ô absit ! *Videte ergo,ne in vacuum gratiam Dei accipiatis* , sed curate,ut possitis dicere: *Gratia Dei nulla in me vacua fuit.*

10. Urget nos ad id ipsum ratio reddenda,non dico jam peccatorum , non dico vitiorum (careamus his , licet per me) sed virtutum non perfectarum , sed gratiarum non admissarum , sed inspirationum & invitationum non auditarum , sed occasionum neglectarum, & otiosè dimissarum , sed exemplorum propositorum & nonexpressorum.

11. Urget nos ad id ipsum illa nostra tanta propositorum , & designationum & resolutionum multitudo , quæ omnis penè omnis in cassum cecidit. in chartis tantùm nostra scripta perfectio fuit ; in operibus,in cordibus ulla vix fuit. Et quis dicet? quis sine pudore cogitabit.quantis nugis impediti, quantis ineptiis leviculisque rebus ac rationibus deterriti fuerimus dejectique à propositorum constantia ! Revoca,quisquis es , hæc tibi in mentem , quæ dico ; & in nullo mihi crrde , si in hoc fallo. Propter ictum oculi alieni , propter motum labii

alieni

alieni, facti sumus quàm sæpè desertores fermè omnis nostri propositi!

12. Urget nos ad id ipsum pudor ille dolórque æternus, quem tepidi, si non habent, habere certè digni sunt, & haberent, si possent, in cœlo. Et quid ni haberent, quando videbunt, quantùm boni cœlestis in æternum lucrati fuissent, si tantillo conatu teporem vivendi & agendi excussissent? quo interim bono carebunt in æternum, aliis innumeris suis sodalibus eo fruentibus ob fervorem strenuum.

13. Urget nos ad id ipsum, periculum amittendarum gratiarum tam copiosarum, & forsitan etiam universarum: neque enim hoc novum, tepidis evenire & non ferventibus apud Deum. An non Apostolus ille erat, cui Christus dixit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum in æternum?* Ioan. 13. 8. Et tamen ipsomet Christo teste, non indigebat ille nisi pedes lavari. Ergo ob nolle sibi pedes lavari, merebatur parte cum Christo in æternum privari. Quis crederet, si veritati non crederet? Et tu ergo time, ne audias, immò ne sentias similiter. Excute torporem, excita fervorem, lava etiam pedes, etiam digitos, etiam ungues extremos, ut nihil sit in te, quod sponso displiceat in te: nam non est parvum, quod ad sponsi non admittit complexum, immò & conspectum.

14. Urget nos ad ipsum, suppletio præteritorum damnorum, per vitæ superioris negligentias contractorum (taceo, per peccata gravia) quantas nos actiones sine fructu egimus hactenus! quantas actiones in se sanctas, nos imperfectè fecimus, & nostris imperfectionibus inquinavimus, si non

si non inutiles reddidimus ! Quot meditationes diurnas (E. G. dictum sit) nos indebitâ diligentiâ perfectionéque fecimus ? quoties imperfectè præparati ad Sacram Communionem, Missámve accessimus! mitto alia. & quanta hîc damna spiritûs ac meritorum & gratiæ ! & nunquid non competens esset, supplendi rationem inire & sarciendi? suppleri posset fervore, si non pigeret nos ipsius fervoris damna priùs fervore supplere.

15. Urget nos ad id ipsum ipsamet Virtus solida. Si non solida est, hoc certè exigit, ut impigra sit, ut nihil negligat, ut suo ingenio indulgeat, ut suis alimentis pascatur. Adolevit enim fervore, nutriatur fervore, saginetur fervore, impugnetur fervore, quia etiam coronanda est caritatis consummatæ fervore. Ne ergo naturæ suæ obliviscatur, ferveat: ne marcescat & languescat: ut facilè ad coronam Justitiæ perveniat, & parum illi ex hac vita, vel nihil desit ad coronidem suam, ferveat; tota ejus cùm sit cogitatio, tota occupatio, ut ferveat.

16. Urget nos ad id ipsum natura cordis seu mentis nostræ, quæ talis est, ut te pore & cessatione à bono jugiter magìs magísque angustetur & ad recipiendas Divinas gratias [sine quibus nihil potest nostra infirmitas] assiduò magìs arcta incapáxque reddatur. Potest ergo evenire cordis nostri vasi, ut ita arctetur & angustetur, ut neque guttam, neque micam, neque atomum gratiæ, aptum sit recipere, radiolúmve inspirationis divinæ persentiscere valeat. Et quæ potest esse major cordis miseria,

quàm si illud subingredi non possit Dei gratia? Væ animæ, in qua Christus non potest ullas virtutes operari! *Operemur ergo, dum lucem habemus, ne nos tenebræ comprehendant*, ne veniat tempus, in quo & cor nostrum non possit operari, & Deus in corde non possit virtutem ullam facere. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*, ad Deum, ad proximum, ad nos, ad omnem creaturam; ut crescamus in viros perfectos, in vasa auri solida, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

DIES IX.

De signis solidæ virtutis.

CONSIDERATIO XXIII.

Quænam signa solidæ virtutis sint.

AD coronidem tandem deduximus solidam virtutem. Signa ejus exponimus; ut qui signa viderit ejus in se, gratuletur illam sibi inesse, meminerit tamen, *ut in Domino glorietur*, ne sit ad insipientiam sibi: qui verò minùs ea in se deprehenderit, curet omni meliori modo, & ea tandem in castello animæ suæ collocet, ut ipse de eorum præsentia apud se non minùs gaudere quàm securus *in idipsum dormire sub alis Domini Virtutum possit*. Et est quidem Virtus solida, ipsa sibi signum satìs evidens: neque enim se occultare potest sibi. Sed tamen habet & alia signa, per quæ cognosci possit, etiam ab aliis, alioqui ipsi de sese testimonium perhibenti non credituris.

1. sig-

1. Signum est difficultas, pravè & imperfectè agendi; facilitas autem, & veluti naturalis [per virtutis exercitium atque usum parta] rectè, sanctè, sublimiter agendi vivendíque facultas. Ita ut homo sit sibi obsequens, & facilis ad omnia; neque in se gravem aut periculosam sentiat carnem, sed spiritui obsequentem consentientem, & quodammodo collaborantē: ad hoc enim adjutorium istud terrenum spiritui nostro datum est ab initio, ut esset instrumentum virtutis; sed, ex peccato, factum est impedimentū. Jam ergo si reformetur, & iterū instrumenti officium obire amet, in suum statum pristinum reductum esse nemo dubitet. Atque in hoc signo, continetur etiam passionum quies & subjectio, ut non nisi sint ad rationem, non verò contra illam: in hoc signo continetur etiam propensionum instabilitas, ut non proripiant neque præcipitent se, mentémve secum, sed ejus imperium atque consilium exspectent. Multò autem magis hic continetur etiam gulæ, [& quæ gulam consequuntur, additamentorum Leviathan] consopitio, & quasi infractio, ut non necesse sit homini bestias illas ut efferatas horrere, sed ut mitigatas cohibere.

2. Signum est puritas cordis (atque etiam consequenter corporis) quâ niteat cor in conspectu Dei, tanquam vas auri mundum solidúmque & artificis manu diligenter elaboratum. Non sordeat peccatis gravibus, non venialibus, non voluntariis, non per negligentiam subrepentibus, vix diligentiam effugientibus & vigilias animæ excubantis vincentibus. Non horreat vitiis nec vitiolis seu

habitibus pravis, non propendeat in malum gravius, non agitetur passionibus, non fuligine aut caligine obscuretur concupiscentiæ & phantasmatum, sed sedata & defecata mens, velut sudo cœlo sol, sic resplendeat in rationali suo cœlo, resplendeat intentione sublimatâ, Divinæ præsentiæ jugi conspectu, inviolatâ (cum Dei voluntate) in omnibus conformatione, denique humilitate & caritate, cogitationibus non solùm puris & sanctis, sed etiam sublimibus & altis, rationibúsque æternis. In hac puritate cordis includo etiam simplicitatem mentis atque bonitatem, quâ homo spiritualis omnia intuetur & recipit, prout sunt, sine doli suspicione: quâ item nec timet decipi, nec decipit: quâ loquitur, ùt res sunt: est, est: non, non. Includo etiam illæsibilitatem quandam. Homo perfectus nec lædere novit, etiam læsus. Sentit, sed læsionem suî, ac si omnia ad mentem essent dicta factáve sibi, accipit, malum pro malo non reddit; immò malum sibi factum aut non agnoscit, aut non in se detortum putat, aut elevat, aut excusat. Amat odientem, in bono malum vincit, & magìs dolore vel peccato adversarii uritur, quàm adversitate suâ. Inter malos bonus est; ex malis bona eruit; malè agentes, nisi notoriè agant, non judicat. Tales mores non nisi in ampla virtute, lata mente, puro & à felle libero corde, inveniri solent, unde & ejus signum sunt.

3. Signum est perpetua pax cordis & conscientiæ tranquillitas atque serenitas, quæ potest stare cum inferioris partis extraneis afflictionibus; sive illæ sint corporeæ, ùt dolores, sive à spiritu maligno advenientes

nientes, ùt tentationes, sive à Deo immissæ, ùt ariditates atque desolationes: modò ratio sedeat immota, neque turbetur eventibus insperatis, neque dejiciatur, cùm non ad mentem quid accidit, neque distrahatur ingruentibus multis, neque torqueatur ambiguis, neque impotens suî sit in subitis & magnis prosperis, nec obsistentibus contraeat, turbatiùs, nec instantibus irruentibúsve cedat meticulosiùs, nec inordinatè gaudeat suis bonis successibus, laudibus, plausibus, honoribus, aliorum de se opinionibus: neque vicissim tristetur aut zelet contra eos, qui eum non mirantur, ejus consilia & sensa non probant, eum non consulunt, qui ab eo ad alios recedunt; nec voluntati suæ tenax inhæreat, sed perinde illi omnia sint, esse atque non esse, sic vel aliter esse, quemadmodum Deo placuerit, velle illa esse.

4. Signum est, amoris erga justitiam, veritatem, atque rectitudinem libertas, ut justitiam omnem liberè sequatur, exerceat, fateatur, nullis rationibus humanis à recto deflectat, Rationi semper cedat, veritati locum det, & eam tam libenter agnoscat à quocunque auditam, quàm libenter proferat cuicunque indigenti necessariam: Esto ob id linguas, scommata, irrisiones, censuras, condemnationes, pænas, mulctas, exilia, notas, damna, verbera, tormenta, mortem sustinere debeat. Hæc libertas, etiam in minutis observantiis Regularibus exhibita, signum est solidæ virtutis: hæc libertas idola non adorat oculorum humanorum, & sermonum, & favorum. Hæc libertas, mansuetudini conjuncta, reprimit etiam procaces audacias, ut in

ſuî conſpectu atque præſentia peccare formident vel erubeſcant: manſuefacit verò & conciliat, etiam feroces inimicos, ut vèl nolentes ament, quos alioqui graves ſuæ malitiæ nôrunt. Sed ad hoc, ùt prædixi, libertas manſuetudini conjungi debet. Nam ſola libertatis puritas rigida eſt & timetur: ſola manſuetudinis facilitas mollis eſt & contemnitur: utraque conjuncta & mutuò concatenata, facit temperiem admirabilem; & ſtupendam, ad hominum animos flectendos, Deóque lucrandos, confert gratiam, & inſuper ipſi homini adfert ſecuritatem atque ſoliditatem.

5. Signum eſt, Stabilitas mentis in Deo, quâ in re intelligo aſſiduam hominis coram Deo præſentiam cúmque Deo ambulationem. Intelligo viciſſim jugem (hominis) Dei memoriam, reverentiam, fruitionem, & omnium quæ agit acturúſve eſt, ex Deo deſumptionem, in eúmque relationem. Intelligo præterea ſecuritatem hominis de Deo, quâ ſic eſt conformatus ſua voluntate cum Divina, in omnibus objectis & objectorum circumſtantiis, ut nihil formidet adverſi, ac præter ſuam mentem evenire à Deo: ſed perinde ùt infans inter ubera & ulnas nutricis ſecurus ludit, moratur, dormit, ſic homo inter voluntatem Dei conquieſcat; aut ſicut Dominus aliquis, cùm habet ſervum fidelem ac prudentem, qualis fuit Ioſeph apud Ægyptium, illi omnia permittit curanda, ipſe ſecurus & oblitus & ignarus omnium cum amicis quietos agit dies; ſic homo Deo permittit & ſe, & ſua, & totius mundi ne-

gotia

gotia, causas, cursus, circumstantiásque curandas, ille autem veluti Magdalena ad pedes Christi sedet, & audit verbum Dei, de solóque Deo cogitat, certus, Deum de se longè solicitiùs fideliúsque cogitare. Intelligo præterea sub hac mentis stabilitate in Deo, confidentiam seu fiduciam de Deo, liberámque ab eo petitionem, & quasi omnia Dei sua essent, sibíque licerent, usurpationem, quomodo sponsi inter se, aut amici intimi atque familiares, res suas mutuò ita usurpant, ac si indiscriminatim unius omnia essent: quæ est quædam sancta de Deo præsumptio, gratissima Deo in suis servis; modò illi in fide non hæsitent, & sic omnia à Deo, quæ cupiunt fieri, futura confidant, ut tamen Deo suam libertatem, definiendi de modo, loco, tempore, difficultatibus futuris, relinquant, sed finem quidem & exitum, certum veluti habeant, modum autem Deo permittant. Deus enim, qui in fine consequendo suos servos exaudit, in modo libertatem suam servat: quia in modo multa soli Deo nota esse solent, quæ cæteros latent; & in unius negotii exitu, multorum Deus bonorum semen, multorum hominum salutem, multam gloriæ suæ messem reperire solet: quo fit, ut etiam ea, quæ felici fine concludi negotia decrevit, multis difficultatibus & longis trahi sinat; ut dum eæ complanantur, interea salus multorum vel unius alicujus (qui sit instar multorum) vel alia similia bona Deo soli cognita, mira suavitate, coordinentur. In hac ergo moratum injectione & per difficultatum objectionem finis optati extractione Deus liber esse vult; & servi

Ejus libertatem hanc Ei permittere debent,ac agenda quidem à ſe agere, ſinere tamen, ut ita omnia fiant, prout fieri ipſe vult. Hac cautelâ ſervatâ, erit & præſumptio ſeu confidentia de Deo plena & ſancta; & conformitas voluntatis, cum Dei voluntate, integra.

6. Signum eſt, Fervor quotidie major, quotidianúſque ex fervore profectus. Omnis omnium noſtrûm vita,motu & curſu,immò volatu conſtat, quin etiam, ut meliùs dicam,motus,curſus,& volatus eſt. Quies in ea nulla fingi poteſt niſi mors;quid eſt enim vitam noſtram quieſcere niſi mori? Ita omninò etiam in ſpirituali vita eſt, nec aliter fingendum ac illudendum nobis à nobis eſt.Vita Spiritualis, etiam vita eſt. Actio igitur & Actus & motus eſt. Quietem itaque in hac vitâ velle, eſt velle mortem, & quis non horret mori ſpiritu? moritur, quiſquis quieſcit; quieſcit autem qui non progreditur, qui non conatur, qui non fervet, qui non urget. Quis nollet vitam ſuam corporalem eſſe quàm vivaciſſimam, actuoſiſſimam, &, quod idem eſt, ferventiſſimam? Nempe vivacitas vitæ, ſignum eſt ſanitatis noſtræ, ſignum abſentis longè mortis, & diſſolutionis à corpore. Cur ergo in vitâ ſpiritûs non idem ſapimus? Cur corpori vitam optamus vivacem & ferventem, animæ autem ſinimus vitam eſſe languidam & torpentem? Spiritus eſt vita animæ. Vita motus eſt & actus. Si vita languida eſt, ſi ſpiritus languidus eſt, quomodo anima mortua non eſt? rurſum autem ſi ſpiritus ſeu vita animæ vivax eſt, nónne tunc quando fervet? Igitur

quando

quando spiritus fervet, vita animæ & sanitas viget. Ferveat ergo semper spiritus, & ferveat semper ampliùs & ampliùs, tunc anima semper vivet vivaciùs, semper saniùs, semper securiùs, semper à morte remotiùs, semper solidiùs. Solidat ergo animæ vitam, qui ferventiorem quotidiè curat habere spiritum; ac denique ferventior semper spiritus, & ex ferventiore spiritu ulterior semper progressus, signum est solidæ virtutis, securæ animæ, solidíque spiritûs.

7. Signum est Sanctitas practica, quo nomine intelligo aliud nihil, quàm quod sæpiùs hoc in toto tractatu repetii, virtutem, ut sit virtus, esse activam debere & operativam: neque hoc loco aut nomine aliud quidquam designare describeréve volo. Utor tantùm hoc nomine, ut rationem istam, quæ est agere & vivere secundùm virtutem, quàm commodissimè proponam atque explicem; si quo modo quà me ipsum, quà alios ad operosam virtutem exsuscitem. Omnia enim alia nihil prosunt, si opus virtutis desit. Deus noster actus est, actibus etiam delectatur, actibus præmia promittit: denique ait: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos.* Ex quibus verbis patet, nos dum hìc vivimus, operari debere; patet, opera nostra nos post mortem sequi; patet, opera nostra Deo præ omnibus cordi esse, ùt quæ sola hinc cum animabus ad cœlum admittat, quæque sola hìc remanere in terra non sinat; patet, ex operibus nostris beatitudinem pendere. ideo namque mortui beati dicuntur, quia illos eorum opera se-

quuntur; ſi ergo non ſequerentur mortuos opera ſua, mortui beati non eſſent; ſed quia ſequuntur, beati ſunt. Et quomodo faciunt opera beatos mortuos? quia propter opera afficiuntur præmio, præmium autem eſt beatitudo. Si opera non eſſent, non ſequerentur; ſi non ſequerentur, præmium mortuis non daretur; ſi non daretur præmium, beati non eſſent; ergo quòd mortui beati ſunt, operibus ſuis debent. At unde opera niſi ab operatione? oportet itaque, dum in hac vita ſumus, exerceri nos & occupari omnino operatione; operatione, inquam, ſub nomine operationis tam actionem, quàm paſſionem includendo, ut in hac vita tam agere quàm pati practicè & re ipſa, & quidem quàm plurima & quàm ſolidiſſima contendamus. Multi multa ſciunt, multi ſubtiliter de virtutibus diſputant; de gradibus perfectionis, de modis proficiendi ſubtiliter, ſolidè, affectuosè, efficaciter loquuntur: ſed ſcientiam ſuam & diſputationes, & ſermones ſuos ipſi operibus non exequuntur. Si ſpeculativè tantùm Sancti & perfecti erimus, & hoc ſatìs eſſe putabimus, quòd omnia vitæ ſpiritualis puncta ſciamus, & nihil novi ab aliis diſcere (quod non ſciamus) poſſimus; ſi hoc, inquam, ſatìs eſſe putabimus, neque ſcientiam noſtram ex ſpeculativa practicam, in noſtro proprio ſubjecto, in nobis, inquam, ipſis fecerimus; quid aliud reſtat, niſi ut etiam præmium cœleſte, gloriámque æternam perfectioni promiſſam ſpeculativè à nobis haberi, ſatìs eſſe dicamus & putemus? Nam ſpeculativæ perfectioni, ſpeculativa ut reſpondeat

spondeat beatitudo, necesse est. quòd si speculativâ beatitudine contenti non sumus, cur ergo sanctitatem perfectionémque speculativam Deo aut potiùs nobis obtrudimus, & illam satìs esse putamus? Neque negare possumus, quòd non putemus, quia ut hoc sermo neget, opera tamen, quæ nulla speculationem sequuntur, probant. Si enim nihil eorum, quæ de perfectione novimus, re ipsa facimus, ergo tantùm speculativam, & non practicam perfectionem habemus; relinquitur ergo etiam, ut non practicam, sed speculativam beatitudinem exspectemus. Dicimus nos vulgò & crebrò: Non est opus nos doceri perfectionem, scimus jam ista, hic liber nihil novi habet; ab isto Patre, in Colloquio, in Exhortatione, nihil audimus quod nesciamus: scimus in quo sit perfectio, scimus quid sit institutum. Sanè bene est totum hoc, bene ista dicuntur & verè, sed nunquid satìs est solum hoc? si satìs est, igitur etiam satìs erit post mortem, ut Deus dicat, se scire bene omnia, quæ cui virtuti, cui gradui virtutis debeantur in cœlo præmia, quibus præmiis quæ merita sint à se afficienda &c. satìs, inquam, erit hoc dici etiam à Deo, & certè dicentur ista omnia verè & bene à Deo, sed nunquid sufficienter ad nostram beatitudinem? nihil minùs. Igitur etiam illi nostri sermones, non sufficient ad perfectionem, ut mereamur per illam, cœlestem beatitudinem. Quare si speculativum præmium speculativè nobis à Deo dari nolumus; speculativè etiam Sancti esse, speculatione beatitudinem mereri, speculativam sanctitatem & nobis prodesse,

desse, & Deo obtrudere nolimus. Practicam sanctitatem quæramus, curemus, sectemur, exerceamus, in illa dies noctésque consumamus. Si scimus speculativè, opus esse homini humilitate, & propter humilitatem humiliatione, practicè id etiam sciamus, hoc est, re ipsa faciamus, re ipsa humiliationes subeamus. Si scimus speculativè, Societatis hominem zelosum esse debere, & animas quærere multorum assiduò, in eóque vitam consumere, sciamus id etiam practicè, & zelum, quem scimus, habendum, habeamus, hoc est, exerceamus & exeramus ita, ut conscientiam nostram effectu & praxi adæquemus vel etiam superemus. Si scimus speculativè, quàm perfectam obedientiam Regulæ nostræ requirunt; Sciamus id etiam practicè, & re ipsa nullum apicem Regularum, quæ sunt de obedientia, prætereamus, quem in obedientia nostra Deus reperire & recompensare non possit. Similes inductiones exemplorum de orationis, reflexionis, puræ intentionis, mortificationis usu &c. quæ optimè speculativè scimus, faciamus, & eas practicè re ipsa in effectum deducamus.

Atque etiam huic ipsi tractatui, hísque de solida virtute considerationibus finem faciamus, ut quod hìc vel docuimus, vel didicimus, practicum reddamus, re ipsa exequamur; & in ipsâ ad praxim seu nostrî seu aliorum cohortatione practici esse laboremus; & in omnibus, praxi, non scientiâ, opere, non cognitione, reales, non verbales sancti simus.

TU

TU DOMINE VIRTUTUM

QUi non tam virtus, quàm actus es, & qui ideò Dominus Virtutum vocaris, quia omnium actibus & ipse constas, & nos constare delectaris: da mihi servo tuo non solùm vocem, non solùm scientiam virtutis, sed etiam opus virtutis. Da mihi Domine, ut quæ tibi placita sunt, sciam, sciendo faciam, faciendo alios doceam, & facere faciam. Da Domine, ut omnis nostra sanctitas in operatione consistat, & in passione propter te, potiùs quàm in scientia & sermocinatione de te. Da Domine, ut cognoscendo, voluntatem tuam faciamus; faciendo, ampliùs in ejus cognitione atque amore crescamus; & crescentes, ad faciendam illam, solidiùs assurgamus ac roboremur. Da nobis Domine quod jubes, & jube quod vis: miserere nostrî sicut scis & vis. Da nobis Domine, ut quidquid vis, sciamus; quidquid scimus, faciamus; quidquid facimus, in eo crescamus, proficiamus, & perseveremus, per te Deum nostrum, & per gratiam tuam, fontem & virtutem omnis virtutis nostræ, ad gloriam tuam & ad gustum voluntatis tuæ, & ad exaltationem dignitatis tuæ!

SERIES

SERIES CONSIDERATIONUM.

DIES I.

Considerationes præambulæ.

DIES II.

De requisitis Virtutis solidæ.

DIES III.

Ubi solida virtus paranda, exercenda, possidenda?

Consid.

DIES IV.
De occasionibus solidæ Virtutis.

DIES V.
De instrumentis ac mediis solidæ virtutis.

DIES VI.
De speciebus solidæ virtutis.

Consid.

FINIS.